

# PHARMACOPOEA

# BELGICA

NOVA.



BRUXELLIS,

SUMPTIBUS J. B. TIRCHER ET VANDOOREN.

—  
1854

615.11:914.93

PHARMACOPŒA

BELGICA

NOVA

21008



P  
n  
v  
C  
i  
M  
P  
M  
r  
i  
F  
J  
r  
v



## AD LECTOREM.

Pharmacopœam Belgicam, anno 1825 editam, jam dudum ad præsentem disciplinarum naturalium, præsertim Chemiæ, rationem non accommodatam esse neminem fugit. Eam itaque renovandam, pluribus abhinc annis, jussit Rex noster Augustissimus. Quæ ex hoc Decreto post aliquot tempus inchoata, sed variis impedimentis diu detenta, nunc tandem in lucem prodit.

Primi ad operam vocati sunt Medicinæ doctores C. DELVAUX, M. MARTENS, D. SAUVEUR et P. VAN CUTSEM, nec non Pharmacopœæ A. D. DE HEMPTINNE, H. J. VAN DEN CORPUT et J. B. F. VAN MONS, quorum aliqui, mox adversa valetudine aut morte correpti, vix ullo adjumento ad rem fuerunt. Dein, jussu Regio, in consilium adhibita est Academia medicinæ (1), tandemque

(1) Ab Academia delegati fuerunt medicinæ Doctores C. DELVAUX, V. J. FRANÇOIS, H. J. FROIDMONT, H. P. GOUZÉE, J. MARESKA, M. MARTENS, D. SAUVEUR, J. STAS; Pharmacopœæ J. T. P. CHANDELON, C. J. DAVREUX, A. D. DE HEMPTINNE, P. J. HENSMANS, V. PASQUIER, et Veterinarius C. P. J. GAUDY; nullam vero in hujus Collegii consiliis partem habuerunt Doctores C. DELVAUX et J. STAS.

operis perficiendi curam sedulamque recognitionem, auctoritate Ministri qui interioribus regni negotiis pro tempore præerat, suscepimus, ut typis mandaretur.

Pharmacopœam novam, priori ampliorem esse facile intelliget qui magnum numerum medicaminum, ab anno 1823 repertorum, consideraverit. In delectu autem horum medicaminum id præcipue spectabamus ut, quæ recentioribus temporibus ex scientiarum progressu innotuerunt sedulo annotarentur, ea lege tamen ut omissa remanerent hesterna quædam, quorum utilitatem experientia nondum comprobavit. Vetusta etiam, quæ nostro tempore vix ministrantur, magna ex parte excludenda duximus, servatis tantum iis quæ, etsi non necessaria, in Medicorum formulis nonnunquam apparent.

Quum medicamina plura, præsertim chemica, non semper a Pharmacopola ipso conficiuntur, utpote quæ per mercaturam abunde suppeditantur, eorum præparationem paucis tantum verbis descripsimus; sed characteres vel notas distinctiores, quibus integritas et indoles præparati apprime dignoscuntur, diligenter indicavimus. Generatim etiam operationes exposuimus quibus medicaminum tum inquinatio tum adulteratio reperitur; quod non solum Pharmacopolis utile est ac Medicis, sed et civibus sinceritatem medicaminum indubitata reddit.

Inter varias quibus medicamina officinalia parari possunt methodos, eam semper elegimus quæ præstantior visa est, aut quæ encheiresi faciliore, minoreque pretio commendatur.

Extracta, quantum fieri potest, plane exsiccanda esse voluimus, tum ut, æquali pondere, eadem semper virtute gaudeant, tum ut facilius serventur. Quæ autem nonnisi in statu pulposo parari queunt, certam et definitam aquæ portionem continere debent, ut Medico semper extractum ejusdem fere virtutis exhibeant.



Multa extracta hydro-alcoholica, præprimis narcotica, in Codice introducta sunt, quum illorum efficacia in dubium a nemine vocari possit.

Aquæ aromaticæ destillatæ nonnisi difficulter asservantur. Qua de causa, usitatissimas tantum ac efficaciores destillatione parandas præscripsimus; cæteras autem, si requirantur, ex tempore imitari docuimus. Eadem lege alcoholata plura, ex temporaneo modo, cum oleis æthereis parari posse judicavimus; ita enim medicamen ejusdem semper virtutis obtinetur, quod alcoholatis destillatione elicitis non semper competit.

Non omnia medicamenta in hoc Codice descripta in omnibus regni officinis adesse debent, quia haud ubique in usu veniunt; ast in singulis provinciis, viri ad curam rerum medicarum legitime constituti, indicem conficient eorum quæ in minoribus oppidis et pagis apud Pharmacopolas prostare omnino necesse est, hac tamen conditione ut cætera, si a Medicis præscribantur, a Pharmacopola quam citissime suppeditentur.

In ponendis medicaminum nominibus, nomenclaturam gallicam, apud nos præsertim usitatam, præparatis chemicis applicavimus. Ab hac norma tamen quandoque recedere idoneum aut necessarium judicavimus; sic servata sunt nomina *Hydrargyrum dulce* seu *Mercurius dulcis* et *Hydrargyrum sublimatum corrosivum*, ut errores avertantur qui in Medicorum formulis ex nominibus vix absimilibus *proto-Chlorureti Mercurii* et *bi-Chlorureti Mercurii* vel *Chlorete hydrargyrosi* et *Chlorete hydrargyrici* oriri possunt.

Ne quis hæreat in ambiguo, plerisque medicamentis largam Synonymorum copiam adposuimus, neglectis attamen nominibus plane antiquis quæ jam diu obsolevere.

In præparatis chemicis a Pharmacopola ipso conficiendis, quan-

titates ingredientium numeris simplicioribus indicavimus. In præparatis autem pharmaceuticis, quæ generatim nonnisi miscelas constituunt, ingredientia eo modo conjuncta sunt, ut massam 100 vel 1000 grammatum efficiant; qua ratione in uno grammate præparati tot centigrammata aut milligrammata cujusque ingredientis continentur, quot grammata ingredientis in tota formula adsunt.

Pondera decimalia, utpote lege sancita, admisimus.

Liquorum densitatem Aræometro batavo pharmaceutico, inter nostrates usitato, indicavimus, et pro spiritu vini gradus Alcoholometri adjunximus.

Temperaturæ indicationes Thermometro centesimali præbentur.

Ad utilitatem Codicis augendam, Appendicem subjungimus, quæ formulas multas continet, tum præparationum magis obsoletarum, tum formularum magistralium quæ apud nos sæpius in usu veniunt et in variis libris, non semper Pharmacopœæ obviis, dispersæ inveniuntur.

Utile quoque duximus Antidota comprobata necnon prima auxilia, absente Medico, a Pharmacopœa venenatis ministranda indicare, quum his in casibus remediorum efficacia præsertim a celeritate qua porriguntur dependeat.

Tandem alphabeticum ordinem in materia Pharmaceutica necnon in serie præparatorum et compositorum, ut commodissimum, observavimus.

Eam ergo divisionem in Pharmacopœa sumus secuti.

In introductione exponuntur :

1° Rationes ponderum medicinalium in Belgio et in externis regionibus usitatorum;

2° Comparatio inter scalas Thermometrorum centesimalis, Reaumuri et Fahrenheitii;



3° Aræometria, id est, instructio de conficiendis et adhibendis Aræometris, adjectis tabulis quibusdam fluidorum densitatem spectantibus;

4° Regulæ generales de colligendis servandisque medicamentis simplicibus, necnon de præcipuis operationibus pharmaceuticis.

PRIMA PARS Codicis, materiam pharmaceuticam complectens, cuncta recenset medicamina *simplicia* dicta et præparata ea quæ aliunde accipit Pharmacopola. Unicuique corpori signa et notæ adduntur quibus genuina agnoscuntur et ab adulteratis distinguuntur.

In SECUNDA PARTE instituuntur medicaminum *compositorum* formulæ et præparandi modus.

In TERTIA PARTE continentur :

1° Reagentia, quibus Pharmacopola ad sinceritatem medicaminum explorandam indiget;

2° Tabula ponderum specificorum quæ oleis æthereis competunt;

3° Tabula medicaminum quæ luce decomponuntur aut alterantur;

4° Tabulæ variæ Pharmacopolis utiles.

Scripsimus Bruxellis mense Decembri 1855.

A. D. DE HEMPTINNE.

J. MARESKA.

M. MARTENS.

D. SAUVEUR.



## CODICIS ORDO.

---

De Ponderibus . . . . .	I
De Thermometro . . . . .	III
Aræometria . . . . .	III
Regulæ generales de operationibus pharmaceuticis. . . . .	XIV
Materia pharmaceutica. . . . .	I
Præparata pharmaceutica. . . . .	91
Reagentia Pharmacopœe necessaria . . . . .	291
Pondera specifica oleorum æthereorum. . . . .	297
Medicamina quæ luce alterantur. . . . .	299
Medicamina caute servanda et dispensanda . . . . .	501
Miscelæ frigorificæ sæpius usitatæ. . . . .	505
Doses maximæ medicaminum fortiorum pro adulto . . . . .	504
Antidota . . . . .	507
Formularium . . . . .	511
Index nominum et synonymorum medicaminum. . . . .	543

---



CODICIS ORDO.

1	De rebus sacris
2	De rebus ecclesiasticis
3	De rebus secularibus
4	De rebus antiquis
5	De rebus exoticis
6	De rebus mathematicis
7	De rebus astronomicis
8	De rebus medicis
9	De rebus philosophicis
10	De rebus poeticis
11	De rebus historicis
12	De rebus geographicis
13	De rebus ethnographicis
14	De rebus linguarum
15	De rebus litterarum
16	De rebus juris
17	De rebus medicinae
18	De rebus philosophiae
19	De rebus poeticae
20	De rebus historicae
21	De rebus geographicae
22	De rebus ethnographicae
23	De rebus linguarum
24	De rebus litterarum
25	De rebus juris
26	De rebus medicinae
27	De rebus philosophiae
28	De rebus poeticae
29	De rebus historicae
30	De rebus geographicae
31	De rebus ethnographicae
32	De rebus linguarum
33	De rebus litterarum
34	De rebus juris
35	De rebus medicinae
36	De rebus philosophiae
37	De rebus poeticae
38	De rebus historicae
39	De rebus geographicae
40	De rebus ethnographicae
41	De rebus linguarum
42	De rebus litterarum
43	De rebus juris
44	De rebus medicinae
45	De rebus philosophiae
46	De rebus poeticae
47	De rebus historicae
48	De rebus geographicae
49	De rebus ethnographicae
50	De rebus linguarum
51	De rebus litterarum
52	De rebus juris
53	De rebus medicinae
54	De rebus philosophiae
55	De rebus poeticae
56	De rebus historicae
57	De rebus geographicae
58	De rebus ethnographicae
59	De rebus linguarum
60	De rebus litterarum
61	De rebus juris
62	De rebus medicinae
63	De rebus philosophiae
64	De rebus poeticae
65	De rebus historicae
66	De rebus geographicae
67	De rebus ethnographicae
68	De rebus linguarum
69	De rebus litterarum
70	De rebus juris
71	De rebus medicinae
72	De rebus philosophiae
73	De rebus poeticae
74	De rebus historicae
75	De rebus geographicae
76	De rebus ethnographicae
77	De rebus linguarum
78	De rebus litterarum
79	De rebus juris
80	De rebus medicinae
81	De rebus philosophiae
82	De rebus poeticae
83	De rebus historicae
84	De rebus geographicae
85	De rebus ethnographicae
86	De rebus linguarum
87	De rebus litterarum
88	De rebus juris
89	De rebus medicinae
90	De rebus philosophiae
91	De rebus poeticae
92	De rebus historicae
93	De rebus geographicae
94	De rebus ethnographicae
95	De rebus linguarum
96	De rebus litterarum
97	De rebus juris
98	De rebus medicinae
99	De rebus philosophiae
100	De rebus poeticae



## PRÆMONENDA.

### I. DE PONDERIBUS.

Pristinæ Belgii provinciæ in rebus medicis non eodem omnes utebantur pondere, nam in aliis ad granum hordei pondera referebantur, in aliis ad Assem aurificum, qui circiter 48 milligrammata æquabat. Invaluerat etiam vetus ratio, qua libra pharmaceutica in uncias duodecim, uncia in drachmas octo, drachma in scrupulos tres, et scrupulus in grana viginti dividebatur.

Decreto diei 30 Novembris 1817 novum statutum est pondus medicum in quo antiquæ illæ divisiones ad libram Pharmaceuticam, cui assertum pondus 573 grammatum, aptatæ fuerunt; unde orta est ratio sequens quæ in officinis ad hunc diem persistit.

Libra valet grammata.	573,00000
Uncia	51,25000
Drachma	5,90625
Scrupulus	1,50208
Granum	0,06310

Certe non procul abest tempus quo ad normam decimalis systematis etiam Medici mandata sua edicent. Propterea ne ulli ponderum mutationi Codex noster obnoxius foret, quantum fieri potuit, non pondus, sed rationem seu proportionem substantiarum quæ conficiendo medicamini inserviunt indicavimus, ita institutam, ut omnes simul summam centum vel mille partium referant. Quæ inde oriuntur commoda, perspicua sunt. In quaque enim totius portione continetur centesima vel millesima pars cujusvis substantiæ in permistione designatæ. Sit, v. g., compositum officinale mille partium, quarum duæ ex opio; Medicus facile dignoscet se, in quaque parte seu grammate compositi, duas partes millesimas seu duo milligrammata opii agro suo propinare.

Mensuris nunquam, ponderibus semper, liquorum quantitates, si aqua excipiatur, determinandæ sunt.

RATIO

*Variorum ponderum medicinalium ad pondus grammatis.*

	Libra.	Uncia.	Drachma.	Scrupul.	Granum.
AMERICA.....	575,2460	51,1058	5,8880	4,2960	0,0648
ANGLIA.....	575,2460	51,1058	5,8880	4,2960	0,0648
AUSTRIA.....	420,0088	53,0007	4,5751	4,4584	0,0729
BAVARIA.....	560,0000	50,0000	5,7500	4,2500	0,0625
BELGIUM.....	575,0000	51,2500	5,9062	4,5020	0,0651
BERNA.....	556,3780	29,7148	5,7144	4,2581	0,0619
BORUSSIA.....	550,7855	29,2520	5,6540	4,2180	0,0609
DANIA.....	557,6659	29,8055	5,7257	4,2419	0,0621
HAMBURGUM.....	557,6295	29,8024	5,7255	4,2418	0,0621
HANNOVERA.....	557,5669	29,7972	5,7247	4,2416	0,0621
HASSIA.....	557,6659	29,8055	5,7257	4,2419	0,0621
LUBECA.....	569,1250	50,7604	5,8451	4,2817	0,0641
NEERLANDIA.....	575,0000	51,2500	5,9062	4,5020	0,0651
NORINBERGA.....	557,8456	29,8205	5,7275	4,2425	0,0621
NORWEGIA.....	557,8456	29,8205	5,7275	4,2425	0,0621
POLONIA.....	558,3106	29,8759	5,7545	4,2448	0,0622
RUSSIA.....	558,5270	29,8606	5,7526	4,2442	0,0622
SAXONIA.....	550,7855	29,2520	5,6540	4,2180	0,0609
SLESVICO-HOLSATIA.....	557,6659	29,8055	5,7257	4,2419	0,0621
SUECIA.....	556,2269	29,6856	5,7107	4,2569	0,0618
WURTEMBERGIUM.....	557,6657	29,8055	5,7257	4,2419	0,0621

Harum regionum libra medica habet 5760 grana; et quævis libra dividitur in uncias 12; quævis uncia in 8 drachmas; drachma in 5 scrupulos; scrupulus in 20 grana. Continentur igitur 480 grana in uncia, 60 in drachma, 20 in scrupulo.

	Libra.	Uncia.	Drachma.	Scrupul.	Granum.
HETRURIA.....	559,5420	28,2952	5,5569	4,1790	0,0491
HISPANIA.....	545,0720	28,7560	5,5945	4,1982	0,0499
LUCA.....	554,5000	27,8750	5,4844	4,1615	0,0484
LUSITANIA.....	544,1900	28,6825	5,5855	4,1951	0,0498
PARMA.....	528,0000	27,5555	5,4167	4,1589	0,0475
ROMA.....	559,1610	28,2654	5,5529	4,1776	0,0494

Dividuntur hæ libræ uti priores, ast continent 6912 grana; habentur itaque in uncia grana 576, in drachma 72, in scrupulo 24.

	Libra.	Uncia.	Drachma.	Scrupul.	Granum.
GALLIA.....	489,505	50,3941	5,8242	4,2747	0,0551

Pondus medicinale in Gallia lege rescissum est. Libra pondus habebat 9216 granorum et dividebatur in 16 uncias. Drachma pendebat grana 72, scrupulus autem 24.



## II. DE THERMOMETRO.

Ubique in Codice, calor gradus thermometro centesimali exprimuntur. Ad scalam Reaumurianam referuntur æquatione :

$$x = \frac{+8 a}{40}$$

ad scalam vero Fahrenheitianam æquatione

$$x = \frac{+18 a}{40} + 52$$

Littera *a* indicantur gradus centesimales reducendi.

## III. ARÆOMETRIA.

In Belgio usu præcipue recepta sunt aræometra secundum methodum Beaumeanam constructa et alcoholometrum Gay-Lussaci. Priora vulgo inserviunt ut inquiratur an liquidum quoddam sit plus minusve grave; sed, quum eorum tubus cylindricum refert perfectum et secundum physices præcepta in gradus partitum, tum ad ipsam quoque liquidorum densitatem explorandam adhiberi queunt.

Aræometrum Beaumeanum liquidis aqua densioribus accommodatum ita gravatur, ut fere totum aqua submergatur. In eo duo puncta, fixa dicta, notantur: prius habetur ex altitudine ad quam apparatus, temperatura + 15° C., in aqua depurata subsidit; alterum ex altitudine, ad quam hæret in solutione ex una parte salis marini et novem partibus aquæ destillatæ, temperatura + 15° C., confecta. Prior nota indicatur signo 0, secunda numero 10, et intervallum dividitur in decem partes æquales quarum unaquæque gradum designat. Divisiones ad eandem mensuram in tubo continuantur usque ad bulbum.

Si tubus hoc modo partitus exacte cylindricus sit et accurate constructus, omnes scalæ gradus erunt inter se æquales, et eorum cujusvis volumen centesimam quadragesimam quartam partem referet voluminis illius instrumenti partis quæ mergitur in aqua depurata; hinc talis aræometri ope facillime determinatur pondus specificum liquorum aqua densiorum.

Ratio inter volumen unius gradus aræometri littera  $x$  expressum et volumen partis instrumenti sub aqua destillata demersæ littera  $V$  notatum, sequenti determinatur modo :

Densitas aquæ salsæ normalis est 1,075. Erit  $V-10x$  volumen instrumenti partis quæ descendet in aquam salsam quum aræometrum huic liquido immittetur. Notentur prorsus litteris  $p'$  et  $p$ , illa pondera solutionis salis marini et aquæ puræ quorum utrumque volumini respondet littera  $V$  expresso. Horum ponderum ratio erit rationi densitatum æqualis, et proinde :

$$\frac{p'}{p} = 1,075$$

Sed quia densitatum ratio par est rationi inversæ voluminum quando pondera sunt eadem, et quum aquæ puræ et aquæ salsæ pondera, quorum prius volumini  $V$  et alterum volumini  $V-10x$  respondent, inter se sunt æqualia, utroque pondus instrumenti adæquante, habetur :

$$\frac{p'}{p} = \frac{V}{V-10x}$$

unde

$$\frac{V}{V-10x} = 1,075$$

et exinde

$$x = \frac{V}{144}$$

Quod demonstrandum.

His præmissis, sit, v. g., liquidum quoddam in aræometro gradum indicans vigesimum, cujusque densitas sit determinanda.

Numerus 144 denotet volumen aræometri partis quæ in aqua destillata subsidit; pondus vero aquæ remotæ, instrumenti ponderi æquale, littera  $p$  designetur.

Pondus 144 voluminum liquidi explorandi, littera  $p'$  expressum, dabitur proportione :

$$(144 - 20) : p = 144 : p'$$

In qua 144—20 indicat volumen aræometri partis in fluido immersæ. Ergo,

$$p' = \frac{144 p}{144 - 20}$$



et ratio inter pondera ejusdem voluminis amborum liquidorum, id est requirenda densitas, erit :

$$\frac{p'}{p} = \frac{144 p}{(144-20) p} = \frac{144}{144-20} = 1,16$$

Aræometrum Beaumeum, liquidis aqua levioribus aptum, tali modo gravatur, ut inferior tantum tubi pars in solutione salis marini se demergat. Punctum, quod superficie liquoris contingitur, notatur signo O. Apparatus dein in aqua destillata immersus altius descendit, et puncto, quod stringit superficies liquidi, adscribitur nota 10. Intervallum inter has notas in decem æquales dividitur partes, et similis fit sursum, ad extremitatem usque superiorem, tubi partitio. Quomodo, hujus aræometri ope, liquorum aqua specificè leviorum exploratur densitas, patet ex his quæ jam de altero aræometrorum genere dicta sunt.

Aræometrum nostras pharmaceuticum, in priori Pharmacopœa belgica descriptum, a Beaumeano liquidis aqua levioribus inserviente, in eo tantum differt, quod punctum O, non solutione salis marini, sed aqua destillata determinatur. Hac ratione, punctum O, tam in aræometro quo liquida aqua graviora, quam in eo quo leviora explorantur, eidem respondet densitati, et liquida alcoholica decem gradus minus, in aræometro pharmaceutico quam in Beaumeano, indicant.

Apparatus qui ad densitatem cerevisiarum, lactis, aceti, aliorumque liquorum inquirendam adhibentur, ipsa quoque sunt aræometra Beaumeana, sed parvo tantum graduum numero instructa.

Alcoholometrum Gay-Lussaci non nisi liquoribus alcoholicis inservit. Constructum est ita, ut volumen alcoholis puri vel absoluti aquæ commixtum denotet. Signum O inferiorem partem scalæ occupat in puncto ad quod usque instrumentum in aqua destillata, temperatura  $+15^{\circ}$  C., descendit. Ultimus scalæ gradus seu centesimus, datur alcohole absoluto et puro, in eadem caloris temperatura. Spatium inter gradus extremos in centum dividitur partes longitudinis diversæ. Gradus indicant centesimas partes voluminis alcoholis puri in liquido alcoholico, temperatura  $+15^{\circ}$  C., contenti. Si, e. g. alcoholometrum ad  $45^{\circ}$  in spiritu vini descendit, exinde concludendum est, liquori

explorato quadraginta quinque centesimas voluminis sui partes alcoholicas inesse.

Quando experimentum, alio caloris gradu quam  $+15^{\circ}$  C., instituitur, alcoholometrum copiam alcoholis puri non accurate indicat, quia liquoris densitas mutata est; numeri igitur sunt corrigendi. Quæ correctiones, pro quovis alcoholometri gradu et pro variis thermometri gradibus, a  $0^{\circ}$  usque ad  $50^{\circ}$ , instituendæ, in libro de usu alcoholometri a Gay-Lussaco edito, exponuntur.

Quum hoc opus aliaque similia non omnibus nec semper præsto sunt, commodum nobis ac utile visum est præcepta tabulis quibusdam adjuvare; inter eas eminet sexta, quæ applicationes multas magnique momenti præbet praxi pharmaceuticæ nec non mercaturæ.

In prima hujus tabulæ columna inscribuntur alcoholometri centesimalis gradus; in secunda notantur pondera specifica; tertia et quarta quantitates alcoholis absoluti et aquæ in uno liquorum alcoholicorum litro contentas exhibent; et tandem quæ in horum liquorum una parte, pondere expressa, inest copia alcoholis absoluti, quinta divisione indicatur.

Quivis gradus alcoholometricus, id est, quivis numerus primæ columnæ, per centum divisus, decimalem litri præbet fractionem qua volumen indicatur alcoholis absoluti in uno liquorum alcoholicorum litro contenti. Numerus huic fractioni in quarta columna respondens, volumen aquæ alcoholi immixtæ exprimit. Horum voluminum summa unitatem semper superat, et eo magis, quo major, ex combinatione orta, voluminis fuit contractio.

Cum tabula sexta multiplices facile solvuntur questiones e quibus unam referre sufficit. Dato liquore quodam alcoholico, requiritur quænam aquæ copia addenda est, ut obtineatur liquor gradus inferioris dati. Gradus indicantur alcoholometro vel alio quolibet aræometro, ejus indicationes vel in densitatem liquidi vel in gradus alcoholometricos transferentur.

Primo determinandum est pondus liquidi vel ponderando vel potius computando; pondus enim datur volumine per gravitatem specificam multiplicato. Indicentur littera *p* pondus liquidi



aqua diluendi, littera  $\alpha$  copia alcoholis absoluti quæ in unitate ponderali hujus fluidi, littera vero  $\alpha'$ , copia alcoholis puri quæ in unitate ponderali liquoris diluti et obtinendi inest; tandem notetur littera  $x$  copia aquæ addenda. Quantitates  $\alpha$  et  $\alpha'$  leguntur in quinta divisione tabulæ sextæ.

Quantitas  $x$  dabitur æquatione :

$$p\alpha = (p + x)\alpha'$$

unde

$$x = \frac{p(\alpha - \alpha')}{\alpha'}$$

Ergo, ut agnoscatur copia aquæ addenda, a quantitate alcoholis in liquore fortiori contenta subtrahenda est quantitas alcoholis liquoris obtinendi; differentia per hanc posteriorem quantitatem est dividenda, et quod exinde oritur per pondus liquoris dati multiplicandum.

Ut hæc regula exemplo illustretur, sit, e. g., spiritus vini 84° ad 50° adducendus.

In tabulæ nostræ quinta divisione adscriptus est numerus 0,7825 =  $\alpha$  gradui 84 respondens et, in eadem columna, numerus 0,4251 =  $\alpha'$  gradui 50 respondet. His numeris loco litterarum  $\alpha$  et  $\alpha'$ , in formula  $x = \frac{p(\alpha - \alpha')}{\alpha'}$ , substitutis, et posito  $p = 1$ , obtinetur :

$$x = \frac{1(0,7825 - 0,4251)}{0,4251}$$

unde

$$x = \frac{0,3574}{0,4251} = 0^k,8407.$$

Copia igitur aquæ, uni kilogrammati liquoris alcoholici 84° addenda ut in liquorem 50° convertatur, est 0<sup>k</sup>, 8407. Pondus miscelæ adæquat 1<sup>k</sup>, 8407, et hoc pondere per densitatem gradui 50 respondentem diviso, datur miscelæ volumen, quod igitur adæquat  $\frac{1,8407}{0,9548}$  vel 1,9668 litra.

Si, in æquatione  $x = \frac{p(\alpha - \alpha')}{\alpha'}$  ponamus  $p$  æquale densitati liquoris 84°, quæ numero exprimitur 0,8551, obtinetur :

$$x = 0,8551 \frac{(0,7825 - 0,4251)}{0,4251} = 0,7172.$$

Hic numerus indicat quantitatem ponderalem seu kilogram-

mata aquæ uni litro liquoris alcoholici 84° addenda, ut hic convertatur in liquorem gradus 50°.

Quum autem volumen aquæ a gradu thermometrico + 4 ad gradum + 15 ascendens, parum mutatur (crescit enim tantum a 10000 ad 10007), mensuram ponderi substituere licet et, hoc in casu, loco kil. 0,7172 addentur litri partes 0,7172.

Liquoris 50° volumen requiretur ratiocinando modo sequenti. Si 0,50 partes litri alcoholis puri unum præbent alcoholis 50° litrum, quænam erit quantitas quæ dabitur partibus 0,84 in uno litro alcoholis 80° contentis. Inde oriunda proportio :

$$0,50 : 1 = 0,84 : x.$$

et

$$x = 1,68 \text{ litri.}$$

Ut his calculis supersedeant Pharmacopolæ, tabulam computavimus quintam, in qua indicantur aquæ quantitates liquoribus addendæ alcoholicis quos ad gradus inferiores adducere sæpius oportet. Liquores alcohole ditissimos habuimus eos qui gradus 90, 89, 88, 87, 86 et 85 alcoholometro indicant, ac quantitates aquæ eis infundendas, ut ad gradus inter 90 et 49 intermedios imminuantur, computatione determinavimus.

Tabula ita constructa est ut in prima linea horizontali scribantur gradus alcoholometrici aqua diluendi, dum in prima columna verticali leguntur gradus liquorum quæditorum; in quaque divisione verticali sequenti notantur aquæ addendæ quantitates. Ubi igitur duæ lineæ, quarum una a gradu diluendo deorsum descendit et altera a gradu obtinendo horizontaliter protrahitur, se invicem secant, ibi legitur aquæ copia ponderalis unitati liquoris alcoholici diluendi injicienda.

Illustretur hæc regula exemplo. Ponamus 7 kilogrammata alcoholis 86° ad alcoholem 60° reducenda.

In linea prima tabulæ, horizonti parallela, quærendus est numerus 86°. Series fractionum decimalium ab hoc numero procedens lineam horizontalem, quæ a gradu 60 oritur, intersectat. Ibi notat fractio 0,5465 quantitatem aquæ uni kilogrammati alcoholis 86° addendam ut ad 60° reducat. Ergo quantitas, 7 kilogrammatibus alcoholis 86°, ut ad 60° imminuantur, infundenda, adæquabit  $7 \times 0,5465$  seu 3,8255.



TABULA PRIMA

gradus Aræometri pharmaceutici, Aræometri Beaumani et Alcoholometri centesimalis cum densitate liquorum aqua leviorum, temperatura 15°, comparans.

Aræometrum pharmaceuticum.	Aræometrum Beaumani.	Alcoholometrum centesimalis.	Densitas liquoris.	Aræometrum pharmaceuticum.	Aræometrum Beaumani.	Alcoholometrum centesimalis.	Densitas liquoris.
0	40	0	1.0000	26	56	86.0	0.8471
1	41	4.6	0.9953	27	57	87.5	0.8421
2	42	10.1	0.9865	28	58	89.1	0.8572
3	43	16.5	0.9796	29	59	90.5	0.8524
4	44	25.0	0.9750	30	40	92.0	0.8276
5	45	29.0	0.9669	31	41	95.5	0.8229
6	46	54.4	0.9600	32	42	94.5	0.8182
7	47	58.5	0.9550	33	43	95.7	0.8156
8	48	45.2	0.9475	34	44	96.8	0.8090
9	49	47.5	0.9412	35	45	98.1	0.8045
10	20	49.7	0.9550	36	46	98.8	0.8000
11	21	52.7	0.9290	37	47	99.8	0.7956
12	22	53.6	0.9251	38	48		0.7912
13	23	58.5	0.9172	39	49		0.7868
14	24	61.0	0.9114	40	50		0.7826
15	25	65.6	0.9057	41	51		0.7785
16	26	66.0	0.9000	42	52		0.7742
17	27	68.4	0.8944	43	53		0.7700
18	28	70.6	0.8889	44	54		0.7659
19	29	72.7	0.8854	45	55		0.7619
20	50	74.8	0.8781	46	56		0.7579
21	51	76.8	0.8727	47	57		0.7559
22	52	78.9	0.8673	48	58		0.7499
23	53	80.7	0.8625	49	59		0.7461
24	54	82.5	0.8571	50	60		0.7422
25	55	84.5	0.8521	51	61		0.7384

TABULA II

conferens gradus Aræometri pharmaceutici vel Beaumeani cum densitate liquorum aqua graviorum, temperatura 15°.

Gradus Aræom. pharm.	Densitas liquorum.	Gradus Aræom. pharm.	Densitas liquorum.
0°	1,000	58	1,539
1	1,007	59	1,572
2	1,014	40	1,584
5	1,022	41	1,598
4	1,029	42	1,412
5	1,056	45	1,426
6	1,044	44	1,440
7	1,032	43	1,451
8	1,060	46	1,470
9	1,067	47	1,485
10	1,075	48	1,501
11	1,085	49	1,516
12	1,091	50	1,532
15	1,100	51	1,549
14	1,108	52	1,566
15	1,116	55	1,585
16	1,125	54	1,601
17	1,154	53	1,618
18	1,145	56	1,637
19	1,152	57	1,656
20	1,161	58	1,676
21	1,171	59	1,695
22	1,180	60	1,714
25	1,190	61	1,756
24	1,199	62	1,788
25	1,210	65	1,779
26	1,221	64	1,801
27	1,251	65	1,825
28	1,242	66	1,847
29	1,252	67	1,872
50	1,261	68	1,897
51	1,275	69	1,921
52	1,286	70	1,946
55	1,298	71	1,974
54	1,509	72	2,002
55	1,521	75	2,051
56	1,554	74	2,059
57	1,546	75	2,078



TABULA III

qua dignosci potest sat accurate vis vera liquoris alcoholici, ejus vis ficta nota est alcoholometro centesimali, alia quam + 15° temperatura.

Vis ficta centesimalis.	Multiplicator pro uno gradu temperaturæ.	Vis ficta centesimalis.	Multiplicator pro uno gradu temperaturæ.
4	0.06	53	0.53
5	0.10	60	0.54
10	0.15	65	0.55
15	0.25	70	0.52
20	0.29	75	0.51
25	0.56	80	0.50
50	0.40	85	0.28
55	0.41	90	0.23
40	0.40	95	0.21
45	0.58	100	0.18
30	0.57		

TABULA IV

eadem ac præcedens, sed ita mutata ut alcoholis copiam præbeat.

Vis ficta centesimalis.	Multiplicator pro uno gradu temperaturæ.	Vis ficta centesimalis.	Multiplicator pro uno gradu temperaturæ.
5	0.10	55	0.40
10	0.12	60	0.59
15	0.20	65	0.59
20	0.28	70	0.58
25	0.57	75	0.58
50	0.42	80	0.37
55	0.45	85	0.56
40	0.45	90	0.54
45	0.42	95	0.51
50	0.40		



TABULA V

exhibens copiam aquæ kilogrammati liquoris alcoholici addendam, ut exinde oriatur liquor inferioris alcoholometrici gradus.

Gradus liquoris obtinendi.	90°	89°	88°	87°	86°	85°
89	0.0151					
88	0.0507	0.0132				
87	0.0464	0.0507	0.0131			
86	0.0625	0.0464	0.0506	0.0132		
85	0.0783	0.0624	0.0465	0.0507	0.0132	
84	0.0932	0.0788	0.0624	0.0466	0.0507	0.0134
83	0.1119	0.0955	0.0788	0.0628	0.0468	0.0511
82	0.1293	0.1126	0.0958	0.0794	0.0652	0.0473
81	0.1472	0.1501	0.1129	0.0965	0.0799	0.0657
80	0.1633	0.1479	0.1503	0.1156	0.0969	0.0803
79	0.1856	0.1660	0.1485	0.1512	0.1142	0.0973
78	0.2026	0.1846	0.1667	0.1495	0.1520	0.1150
77	0.2220	0.2057	0.1833	0.1678	0.1502	0.1550
76	0.2418	0.2255	0.2047	0.1867	0.1689	0.1314
75	0.2621	0.2452	0.2244	0.2061	0.1880	0.1702
74	0.2851	0.2659	0.2447	0.2262	0.2078	0.1896
73	0.5044	0.2849	0.2634	0.2461	0.2278	0.2093
72	0.5264	0.5066	0.2867	0.2676	0.2483	0.2298
71	0.5489	0.5288	0.5086	0.2895	0.2698	0.2507
70	0.5719	0.5513	0.5310	0.5112	0.2913	0.2721
69	0.5939	0.5731	0.5542	0.5540	0.5140	0.2945
68	0.4202	0.5990	0.5778	0.5375	0.5569	0.5169
67	0.4434	0.4258	0.4022	0.5815	0.5603	0.5401
66	0.4709	0.4490	0.4270	0.4037	0.5846	0.5658
65	0.4974	0.4750	0.4327	0.4510	0.4093	0.5884
64	0.5249	0.5021	0.4795	0.4372	0.4534	0.4158
63	0.5328	0.5296	0.5064	0.4859	0.4616	0.4593
62	0.5325	0.5387	0.5350	0.5122	0.4894	0.4671
61	0.6118	0.5879	0.5656	0.5405	0.5172	0.4944
60	0.6452	0.6184	0.5959	0.5701	0.5463	0.5253
59	0.6748	0.6497	0.6247	0.6003	0.5763	0.5528
58	0.7078	0.6825	0.6368	0.6521	0.6076	0.5854
57	0.7418	0.7158	0.6898	0.6646	0.6596	0.6150
56	0.7769	0.7305	0.7258	0.6981	0.6726	0.6473
55	0.8129	0.7858	0.7588	0.7523	0.7063	0.6809
54	0.8509	0.8255	0.7756	0.7688	0.7425	0.7161
53	0.8897	0.8613	0.8352	0.8059	0.7788	0.7521
52	0.9506	0.9017	0.8729	0.8430	0.8173	0.7900
51	0.9128	0.9453	0.9159	0.8835	0.8570	0.8291
50	1.0159	0.9838	0.9357	0.9266	0.8976	0.8692

TABULA VI

exhibens alcoholis absoluti et aquæ copiam quam, in litro et in unitate ponderis, liquores alcoholici ejusvis alcoholometri gradus continent; adjecta horum liquorum densitate.

Gradus alcoholometri centesimalis.	QUE, IN UNO LITRO				Gradus alcoholometri centesimalis.	QUE, IN UNO LITRO			
	PONDUS SPECIFICUM.	Liquoris, continentur kilogramm.		Que, in unitate ponderali miscelæ, continentur alcoholis absoluti partes.		PONDUS SPECIFICUM.	Liquoris, continentur kilogramm.		Que, in unitate ponderali miscelæ, continentur alcoholis absoluti partes.
		alcoholis absoluti.	aque.				alcoholis absoluti.	aque.	
0	1.0000	0.0000	1.0000		51	0.9527	0.4055	0.3276	0.4544
1	0.9986	0.0079	0.9907	0.00796	52	0.9509	0.4152	0.3177	0.4459
2	0.9970	0.0139	0.9811	0.01394	53	0.9287	0.4212	0.3077	0.4353
3	0.9956	0.0238	0.9718	0.02393	54	0.9269	0.4291	0.4978	0.4650
4	0.9942	0.0518	0.9624	0.05197	55	0.9247	0.4571	0.4876	0.4727
5	0.9927	0.0597	0.9532	0.04095	56	0.9227	0.4450	0.4777	0.4823
6	0.9913	0.0477	0.9458	0.04809	57	0.9206	0.4350	0.4676	0.4920
7	0.9905	0.0536	0.9347	0.05615	58	0.9183	0.4609	0.4376	0.5018
8	0.9891	0.0656	0.9233	0.06428	59	0.9165	0.4689	0.4474	0.5117
9	0.9878	0.0713	0.9165	0.07240	60	0.9141	0.4768	0.4573	0.5216
10	0.9866	0.0793	0.9071	0.08033	61	0.9118	0.4848	0.4270	0.5317
11	0.9853	0.0874	0.8981	0.08871	62	0.9097	0.4927	0.4170	0.5416
12	0.9845	0.0934	0.8889	0.09689	63	0.9072	0.5007	0.4063	0.5519
13	0.9833	0.1055	0.8800	0.10510	64	0.9049	0.5086	0.5963	0.5620
14	0.9822	0.1115	0.8709	0.11350	65	0.9027	0.5163	0.5862	0.5725
15	0.9812	0.1192	0.8620	0.1213	66	0.9005	0.5243	0.5758	0.5826
16	0.9802	0.1272	0.8550	0.1297	67	0.8980	0.5324	0.5636	0.5929
17	0.9792	0.1531	0.8441	0.1580	68	0.8956	0.5404	0.5532	0.6054
18	0.9755	0.1451	0.8352	0.1465	69	0.8931	0.5483	0.5448	0.6159
19	0.9775	0.1510	0.8265	0.1543	70	0.8907	0.5563	0.5544	0.6246
20	0.9762	0.1589	0.8175	0.1628	71	0.8882	0.5642	0.5240	0.6333
21	0.9735	0.1669	0.8084	0.1711	72	0.8856	0.5722	0.5154	0.6461
22	0.9745	0.1749	0.7994	0.1794	73	0.8831	0.5801	0.5051	0.6370
23	0.9752	0.1828	0.7904	0.1878	74	0.8803	0.5881	0.2924	0.6679
24	0.9721	0.1907	0.7814	0.1962	75	0.8779	0.5960	0.2819	0.6790
25	0.9710	0.1987	0.7724	0.2046	76	0.8752	0.6040	0.2712	0.6901
26	0.9700	0.2066	0.7634	0.2130	77	0.8726	0.6119	0.2607	0.7015
27	0.9690	0.2146	0.7544	0.2214	78	0.8699	0.6199	0.2500	0.7126
28	0.9679	0.2223	0.7454	0.2299	79	0.8671	0.6178	0.2395	0.7240
29	0.9669	0.2503	0.7363	0.2384	80	0.8645	0.6258	0.2287	0.7354
30	0.9637	0.2584	0.7273	0.2469	81	0.8617	0.6337	0.2180	0.7470
31	0.9643	0.2465	0.7182	0.2554	82	0.8589	0.6416	0.2075	0.7587
32	0.9633	0.2345	0.7090	0.2640	83	0.8560	0.6496	0.1964	0.7706
33	0.9621	0.2625	0.6998	0.2726	84	0.8531	0.6575	0.1856	0.7823
34	0.9608	0.2702	0.6906	0.2812	85	0.8502	0.6653	0.1747	0.7946
35	0.9594	0.2782	0.6812	0.2899	86	0.8472	0.6734	0.1638	0.8067
36	0.9580	0.2861	0.6719	0.2983	87	0.8442	0.6814	0.1528	0.8190
37	0.9567	0.2940	0.6626	0.3074	88	0.8411	0.6895	0.1418	0.8314
38	0.9555	0.3020	0.6533	0.3160	89	0.8379	0.7075	0.1506	0.8442
39	0.9538	0.3099	0.6459	0.3249	90	0.8346	0.7152	0.1194	0.8570
40	0.9522	0.3177	0.6345	0.3338	91	0.8312	0.7232	0.1080	0.8701
41	0.9508	0.3258	0.6250	0.3427	92	0.8277	0.7311	0.0966	0.8833
42	0.9491	0.3538	0.6155	0.3517	93	0.8242	0.7391	0.0851	0.8967
43	0.9474	0.3417	0.6037	0.3607	94	0.8203	0.7470	0.0733	0.9104
44	0.9457	0.3497	0.5960	0.3699	95	0.8168	0.7550	0.0618	0.9244
45	0.9440	0.3576	0.5864	0.3788	96	0.8128	0.7629	0.0499	0.9387
46	0.9422	0.3656	0.5766	0.3880	97	0.8086	0.7709	0.0577	0.9533
47	0.9405	0.3735	0.5668	0.3972	98	0.8041	0.7788	0.0253	0.9686
48	0.9383	0.3813	0.5570	0.4064	99	0.7993	0.7868	0.0127	0.9841
49	0.9367	0.3894	0.5473	0.4137	100	0.7947	0.7947	0.0000	1.0000
50	0.9348	0.3974	0.5374	0.4231					



#### IV. REGULÆ GENERALES.

##### 1. DE COLLIGENDIS, SICCANDIS ET ASSERVANDIS MEDICAMENTIS SIMPLICIBUS.

1. Quæ ad materiam pharmaceuticam pertinent medicamenta sint genuina notisque propriis distincta.

Emantur solida, non in pulvere, sed integra vel in frustis quibus de nativis characteribus possit inquiri. Quæ in crystallos cogi possunt, sumantur in statu crystallino, qui fraudes generatim excludit.

2. Omnes plantarum partes e stirpibus sponte nascentibus, rarissime e cultis utpote minoris efficaciam, carpantur; incultæ si deficiunt, e patria importandæ sunt siccatae, nisi cultura diuturna cælo nostro consueverint.

3. *Radices* annuæ evellantur ineunte florescentiam tempore: biennes versus finem prioris anni; perennes, anno altero aut tertio, generatim autumnis; tum brevi lotionis a sordibus liberatae, siccantur in loco calido, ventis pervio aut leni calore fornacis aptæ.

4. *Bulbi* generatim autumnis, quum folia marcent, colligantur, ast seligendi bulbi novi qui caulem aut scapum floriferum non dederint. Crassiores in taleolas secti, filis suspensi vel supereratibus expansi, calore blando siccantur.

5. *Gemmae* primo vere, quo tempore turgidulae sunt et ante foliorum explicationem, decerpantur.

6. *Herbæ*, ineunte florescentia, cælo sicco, nec rore sparsæ, colligantur: aromaticæ, e solo sicco, edito et aprico; acres, e loco humido paludoso. Indigenæ quotannis recentes comparari debent.

Herbarum exsiccatio citissime fiat, aut calido, umbroso et perfilato loco, aut lento fornacis calore.

7. *Folia* carpenda sunt rite expansa sub initio florescentiam, tempestate sicca et matutina, simul ac solis radii rorem dissipaverint. Cautè siccantur uti de radicibus præceptum est.

8. *Flores* non legendi ante plenariam petalorum evolutionem,



Rosa gallica excepta. Labiatis calyces servantur. Cæterum flores tempestate sicca colligendi et eodem modo quo radices siccandi.

9. *Fructus* non nisi maturi decerpantur, si excipias fructus quosdam carnosos, ut Fraga, Mora, Grossularia, fructus Rubi idæi. Capita Papaveris somniferi etiam colligenda sunt nondum omnino matura.

10. *Semina* colligantur perfecte matura, antequam sponte excidant. Eligantur sana, aquâ graviora, locoque aëri pervio probe siccantur, nec foci calore. Quæ capsulas, involucra, etc., retinent semina, ea his munita servantur.

11. *Cortices* vernali tempore generatim detrahendi ramis nec junioribus, nec annosis. Siccantur uti radices.

12. *Ligna* succidantur hyeme, quo virtus maxima viget.

13. Omnia probe siccata ac sordibus terreis aliisque quicquiliis liberata, servantur in loco sicco et obscuro. Substantiæ aromaticæ et resinosæ vitreis condantur vasis, apte claudendis.

## II. DE PRÆCIPUIS OPERATIONIBUS PHARMACEUTICIS.

Quum in Codice operationes pharmaceuticæ paucis tantum verbis indicantur, regulas generales quas in præcipuis operationibus sequi conducit, hic præmittere non inutile duximus.

### AQUÆ DESTILLATÆ AROMATICÆ.

1. Flores ac folia, quæ aquis destillatione parandis inserviant, sint vel recentia vel recens siccata.

2. Cortices, radices seminaque, plus minusve conscissa, vel contusa, prius macerationi per decem aut duodecim horas subjiciantur.

3. Destillatio fiat, cum aqua fontana, in apparatu ita disposito ut quæ destillationi submittantur vegetabilia, ad præcavendum empyreuma, ignis vim non directe recipiant. Quam ob rem, destillanda, telæ ferreæ ope, ab inferiori vasis parte amoveantur, vel instituenda destillatio in balneo liquoris chlorureti calcii.

4. Flamma nunquam superet eam alembici partem, quam aquæ superficies attingit.

5. Fiat generatim destillatio e vesica cuprea, stanno intus obducta, impositis capitello et tubo refrigeratorio e stanno confectis, ne ulla ratione aqua veneno cuprico possit inquinari.

6. Curandum ut apparatus destillatorius ab omni odore alieno sit liber. Hinc seligenda præsertim vasa frigidaria quæ facilius expurgari possunt.

7. Floribus ac herbis aromaticis superaffundatur aquæ copia circiter tripla pondere aquæ destillatæ colligendæ, nec vesica ultra duas tertias partes est implenda ne, sub operatione, materia turgens in alembicum transeat.

8. Non cum nimia substantiarum vegetabilium copia destillatio instituat, sed potius omni horæ dimidio planta in vesica destillatoria renovetur.

9. Corporum valde fragrantium et præsertim eorum quæ olea ætherica leviora continent, destillationem aquæ vapore instituere conducit. Hoc in casu, apparatus ita sit dispositus ut aquæ bullientis vapores ducantur per ipsa corpora destillationi subjicienda.

10. Oleum si in superficie aquæ destillatæ conspiciatur, non amovendum nisi aqua cum eo prius agitetur. Quod dein, quiete concessa, aquæ aromaticæ innatat vel hujus fundum petit, exacte separetur, et aqua, in lagenis primo die cono chartaceo et dein epistomio vitreo claudendis, in loco obscuro et frigido servetur.

11. Aquæ aromaticæ si oleo ætherico excedente turbidæ sint, ante usum per chartam aqua madentem filtrentur. Odorem plantarum e quibus eliciuntur redoleant, oleo ætherico maxime refertæ; ne sint fuscæ, neque odoris empyreumatici, neque mucilaginosæ aut flosculis innatantibus intermixtæ. Nonnisi brevi tempore asservari queunt.

ALCOHOLATA SIVE SPIRITUS DESTILLATI.

1. Quæ destillationi subjicienda, pro sua varia indole, concisa, contusa vel pulverata sint.

2. Prævia maceratio cum alcohole præscripto, in vase clauso,



per horas viginti quatuor et quidem per biduum pro substantiis durioribus, instituenda est generatim.

5. Fiat destillatio ex balneo aquæ et cum spiritu vini rectificato densitatis præscriptæ. Curandum ut liquor elicited in vas excipiens defluat omnino refrigeratus. Hic præterea valent quæ de parandis aquis destillatis sub N<sup>o</sup> 5 et 6 indicata sunt.

4. Alcoholata sint limpida, fragrantia, ac in lagenis arte claudendis, loco frigidiusculo, servanda.

DECOCTA.

1. Vasa, in quibus decocta parantur, sint e stanno vel cupro probe stannato confecta, vel, si acida aut alcalina decoctis insunt, porcellanea aut vitrea.

2. Fiat coctio in vase clauso, igne leni, non interrupto, et, ni aliter præscriptum sit, per horæ quadrantem pro floribus, herbis aut radicibus plus minusve mucilaginosi, per semihoram pro corticibus, lignis ac radicibus durioribus.

3. Peracta coctione, liquor fervidus premendo coletur et quam citissime refrigeretur, excepto casu quo medicamina quedam decocto infundenda sunt.

4. Si medicaminum dosis a Medico non notatur, sumat in universum Pharmacopola, pro colatura partium 1000, florum aut foliorum partes 50, radicum, lignorum seu corticum partes 60. — Si decoctum *concentratum* edictum est, paratur cum duplici medicaminum dosi, et cum quadrupla, si *concentratissimum*. Notandum præcepta hæc non valere pro medicaminibus narcoticis aut heroïcis, quorum dosis sedulo enuncianda est a Medico.

ELECTUARIA.

1. Ea omnia quæ electuariis parandis inserviunt, ita terendo commisceantur, ut pulpam æquabilem exhibeant.

2. Frequenter ac penitus subigendæ sunt electuariorum massæ, in vasis faventinis tectis, loco frigido et sicco, servandæ.

EMPLASTRA.

1. Corpora pinguia quibus conficiuntur emplastra, in vase figu-

lino aut cupreo stannato, generatim balneo vaporis liquentur, et cum cæteris substantiis rite misceantur.

2. Emplastra inter refrigerandum strenue agitata et prope frigida supra lapidem marmoreum in cylindros fingi possunt servarique chartâ involuta. Quædam, dum adhuc calore liquida, in vasa figulina immittere licet; quæ autem volatilia continent, vesicula includantur.

5. Emplastra calore leni mollescant et supra linteum aut pellem expansa cutique admota, mollia maneant et huic facile adhæreant, nec tamen liquescant.

4. Fere nunquam accurate indicatur mensura emplastrorum. Refertur enim ad rem quamdam formæ et magnitudinis plus minusve notæ, v. g., ad quartam schedæ partem aut chartam lusoriam, vel indicatur corporis parte cui emplastrum adplicandum est. Ita quandoque mandata Medici falluntur, quia nulla datur certa exsequendi norma. Ad vitanda quæ exinde oriuntur incommoda, Pharmacopola adæquabit :


Dimidiam schedam	rectangulo	longit.	50	latitud.	19	centim.
Schedæ quadrantem	»	»	19	»	15	»
Chartam lusoriam	»	»	9	»	6	»
Palmam (manus)	»	»	8	»	8	»
» majorem	»	»	9	»	9	»
» minorem	»	»	7	»	7	»

Habebit emplastrum adplicandum :

Lateri	longitud.	19	latitud.	15	centim.
Brachio	»	5	»	4	»
Cervici	»	6	»	3	»
Temporibus	»	5	»	2	»
Suris	»	10	»	7	»

Alias divisiones Medicus centimetris exprimat necesse est, aut numero indicet, secundum tabulam obversam, emplastrum ovatum aut rotundum. Margo numeris præscriptis non annumeratur. Notandum est numerum, pro emplastro rotundo, mensuram diametri, et, pro emplastro ovato amplitudinem diametri minoris centimetris exprimere, uti figura sequens indicat.





EXTRACTA.

1. *Extracta aquosa* parentur cum aqua destillata et vegetabilibus selectis, rite siccatis vel recentibus, prout res postulat.
2. Obtinentur tum expressione plantarum, tum maceratione frigida aut calida, interdum etiam coctione.
3. Pro extractis expressione parandis, generatim adhibeantur herbae recentes, quae lotae et, si opus est, pauxillo aquae destillatae irroratae, in mortario lapideo contendantur in pulvem ac dein panno cannabino aut sacco linteo inclusae fortiter premantur. Succus leniter calefiat ut, albumine, ni aliter praescriptum sit, coagulato ac faecibus in superficie sponte congestis depuretur

et, post subsidentiam per pannum colatus, lenissimo calore ad debitam crassitudinem inspissetur.

4. Ad extracta maceratione paranda advocetur, quantum fieri potest, methodus lixiviativa, cujus ope materiae solubiles minima aquae copia extrahuntur.

5. Materiae extrahendae, plerumque siccatae ac minutim concisae aut contusae vel etiam pulveratae, pro varia sua indole ac cohaesione, adhibeantur.

6. Antequam in apparatus depulsorium vel lixivatorium ingerantur, cum aquae duplici circiter pondere misceantur; tum post horas decem aut duodecim, in apparatu epistomio inferne munito, laxe vel confertim sternantur. Materiae lignosae, fibrosae, fortius comprimantur; mucilaginosae autem, amyloaceae necnon in molem glutinosam concrecentes remisse in apparatus immittendae sunt, nisi tamen pro faciliori extractione simplex maceratio, quam sequatur expressio fortis, lixiviationi sit anteponenda.

7. Liquores evaporandi, si non limpidi sunt, subsidentia ac colatione per pannum linteum, nunquam clarificatione cum ovorum albumine depurentur.

8. Evaporatio ita instituat ut quam minimo temporis spatio fiat, sed cavendo ne vividiori igne solutio alteretur. Ad diurnam caloris actionem praecavendam, solutiones tenuiores seorsim a fortioribus sunt evaporandae, et ubi nimia liquoris copia est inspissanda, evaporatio per partes instituat.

9. In evaporatione agitatio assidua conducit, quia vaporis effugium fovet et liquorum incalescentiam nimiam inhibet. Albumen vegetabile coagulatum colatione est separandum et, quum liquor ad syrupi tenuioris spissitudinem pervenerit, nunquam est altera solutione diluendus, sed absolvenda evaporatio in patinis porcellaneis balneo aquae aut furno exsiccatorio calefactis.

10. Coctione parantur pauca tantum extracta: qualia sunt extracta Cascarillae, Corticis peruviani, Guaiaci, Quassiae, quorum species minutim concisae, aut, si fieri potest, pulveratae cum aquae quadruplo aut sextuplo, in vase clauso, leniter ebulliant,



dein fervidae premendo colentur et semel vel bis cum minore aquae pondere coquantur.

11. Eo melius asservantur extracta aquosa, quo minorem aquae copiam retinent. Hinc plura, et praesertim adstringentia, ad siccum evaporare conducit.

12. *Extracta alcoholica et aetherea.* Substantiae extrahendae rite divisae, per biduum, in vase clauso, interdum conquassatae, macerentur cum alcoholis vel aetheris quadruplo. Expressione separetur liquor, ac iterum atque iterum digeratur residuum cum dimidio fere pondere alcoholis vel aetheris ad macerationem adhibiti, ut solubile quidquid, vel prelo vel methodo depulsoria, extrahatur. Si lixivatio instituitur, spiritum post extractionem in massa remanentem cum aquae tantillo elicere conducit. Tum liquores collecti, subsidentia ac filtratione depurati, ex aquae balneo destillantur donec duae tertiae partes transierint, residuumque leni calore, sub agitatione ad debitam crassitudinem inspissetur.

13. Quae humorem aeris attrahunt extracta, in vasis vitreis vel porcellaneis clausis condantur.

INFUSA.

1. Materiae medicatae infusioni submittendae, probe divisae, cum aqua destillata ad ebullitionem fere calefiant in vase tecto; quo ab igne remoto, miscelam cola post macerationem horae octantis. Infusum, si partes aromaticae aut volatiles insint, ne coletur antequam refrixerit.

2. Infusa frigida, *macerata* dicta, methodo lixivatoria optime perficiuntur.

3. Quae pro decoctis sub N<sup>o</sup> 4 praescripta sunt, etiam pro infusis valent, hoc tamen discrimine, quod dimidia tantum medicaminis extrahendi dosis est sumenda.

OLEA AETHEREA.

1. Observanda sunt praecipua quae pro aquis aromaticis destillatione parandis sub N<sup>o</sup> 4-8 indicantur.

2. Quae stillaverit aqua ab oleo secernatur ac in vesicam

destillatoriam refundatur quamdiu e substantiis aromaticis oleum prodit, aut cum altera substantiæ copia destillationi sub-  
jiciatur ; quod pluries repetendum, ubi elicienda est olei magna copia.

3. Olea ætherea ab aqua sedulo separentur et in vasis vitreis minoribus, repletis arcteq̃ue clausis, loco umbroso et frigido, servantur.

4. Recenter parata limpida ac decolora sunt ; sed temporis tractu colorem varium assumunt eorumque densitas sæpius augetur. Hinc pondus specificum oleorum æthereorum quodam modo variat. Vide pag. 297.

5. Olea ætherea, quæ aquis aromaticis ex tempore parandis inserviunt, statim post extractionem cum alcoholis quantitate congrua miscere conducit.

PILULÆ.

1. Gummi resinæ, pilulis immiscendæ, sint depuratæ et pulveratæ.

2. Si Medicus in formula pilularum majorem extractorum præscripserit copiam, quam quæ ad massam justam sufficit, extracta ad eam consistentiam evaporentur, ut e miscela substantiarum omnium quæ in partem massæ veniunt, pilulæ apte formari possint.

3. Nisi aliter a Medico mandatum fuerit, pilulæ viginti centigrammata pendant, Lycopodio conspergendæ.

PULVERES.

1. Corpora in pulverem extenuanda prius a quisquiliis munda et siccata sint, oportet. Ante hanc operationem, Nuces vomicæ et Agaricus albus limanda sunt. Gummi-resinarum pulveratio hieme instituenda est, et pulveratæ dicuntur *depuratæ*.

2. Partes vegetabiles ac animales in mortario ferreo polito ; salia autem aliaque corpora metallum exedentia, in mortariis lapideis pulverentur.

3. Medicamina quæ pulverata præscribuntur, eo usque con-



tundantur aut terantur quoad prorsus per cribrum sericeum transeant. Sistatur labor quum nil nisi sordes cribrum retinet.

Pulveres ita parati ac probe siccati in vasis clausis servantur, ne aëris humorem attrahant.

4. Quædam substantiæ nonnisi cum adminiculo alius corporis pulverantur, uti Camphora cum pauxillo alcoholis, Vanilla cum saccharo, etc.

5. Radices ac cortices texturæ compactæ, nullo relicto residuo, sunt pulverandæ. Fibrosarum autem substantiarum extenuatio sistenda quum fibrillæ tantummodo in cribro hærent. Florum ac foliorum quarta pars sub pulverisatione rejiciatur.

6. Pulverata accuratissime misceantur, ut massa fiat homogenea.

7. Substantiæ nonnullæ, ut Bolus armena, Mercurius dulcis, Sulphuretum antimonii, etc., levigando cum aqua in pulverem intactilem redigantur.

SYRUPUS.

1. Liquores syrupis parandis inservientes, antequam solvatur saccharum, clari sint, oportet.

2. Adhibeatur semper saccharum *Raffinatum* albissimum, cujus solutionem lenis calor adjuvet, syrupus dein coletur ante refrigerationem.

3. Sint limpidi, exceptis syrupis Chinæ, Amygdalarum aut iis qui substantias resinosas aut balsamicas continent. Nunquam flocculos aut corpora sedimentosa suspensa teneant, nec post refrigerium crystallos sacchari deponant.

4. Sint generatim syrupi frigidi 56° seu ponderis specifici 1,534. In lagenis plenis, loco frigido, asserventur.

TINCTURÆ.

1. Quæcumque ad parandas tincturas advocantur, sicca et minuta sint necesse est; quædam tamen recentia nec siccata adhibentur.

2. Fiat generatim principiorum solubilium extractio tempe-

ratura 12° — 20°; celerius tamen absolvitur, si opus est, leni calore adjuvante. Alcohol extractioni serviens per partes semper, ac repetita vice, addatur.

3. Digestio frigida apprimè in apparatu lixivatorio instituitur; calida autem, in cucurbitis vitreis tantæ amplitudinis, ut digerenda dimidium tantummodo impleant.

4. Digestione peracta, solutio alcoholica in residuo non soluto remanens leni pressione per pannum linteum eliciatur, et solutiones commixtæ per chartam bibulam filtrentur.

5. Serventur tincturæ in lagenis probe clausis, loco umbroso.

UNGUENTA.

1. Corpora pingua non volatilia, in vase idoneo, balneo vaporis liquata, misceantur, per pannum linteum colanda; colatis dein addantur pulveres sub agitatione continua donec massa refrixerit. Aqua, si adest, evaporatione abeat.

2. Substantiæ volatiles nonnisi unguento refrigerescenti immiscendæ.

3. Quibus principium volatile inest, ea serventur in vasis arcte clausis, et quia vetustate, calore ac aëre, præsertim humido, omnia fere rancorem contrahunt, non nimia copiâ paranda nec diu servanda.



PARS PRIMA.

MATERIA PHARMACEUTICA.

ACCENTIBUS, Herbis cum succis.

*Asperula odorata* L. (*Syntherisma Polygamia asperula* L.; *San. Lycopodium*). Planta perennis, bulbosa, vix indigena, sed in hortis frequenter culta.

PARS PRIMA.

MATERIA PHARMACEUTICA.

ACETAS CUPRI

ACETAS NICOTINAE

Capitulum subrotundum. Arista. Folia ovata.

Fructus in pedibus vel globis compositis, opacis, luteo asperis, a viridi nigrescentibus; sapore ingratis mucillinis. In aqua parum, in acido acetico solvus. Cuius acetis.

ACETAS PLUMBI VEXALIS

ACETIS ZINCIS

Saccharum vel sal Sarsaparilla Plumbi.

Sal crystallis exhibens multas vias, poliacetum, vix crystallis, subduplex, absters, capere primam dabo. In aqua parum, in acido acetico solvus, superius sublatissimas, in aqua paribus blis solubiles. Quorundam.

Depositor multum in altera parte Cuius dicit.

calura 12 — 20; solutus tamen absorbitur, si opus est, leni calore adpranso. Alcohol extracti per chartam per chartam semper, ut repetita vice, addatur.

3. Digestio frigida optime in apparatus hermeticeo instituitur; calida autem, in cucurbita vitrea finita ampullarum, et digestio dimidium tantummodo impletur.

4. Digestione peracta, solutio alcoholica in residuo non soluta remanens leni pressione per pannum filicem elicitur, et solutiones commixtae per chartam bibulam filtrantur.

5. Sarcocolla tractata in lignis prode clausa, leni calore absorbitur.

MATERIA PHARMACEUTICA

4. Corpora pinguis non volatilia, in vase idoneo, leni calore vaporis liquato, stampantur, ut extrahantur. Solventia calidiora, ut aqua, adhibenda sunt, ut extrahantur. Aqua, ut extrahantur.

2. Substantia Aquae, ut extrahantur.

3. Quibusdam materiae Pharmaceuticae, ut extrahantur.

PARS PRIMA

MATERIA PHARMACEUTICA



## PARS PRIMA.

### MATERIA PHARMACEUTICA.

#### ABSINTHIUM, Herba cum summitatibus.

*Artemisia absinthium* L. (Syngenesia Polygamia superflua L.; fam. Compositæ). Planta perennis, herbacea, vix indigena, sed in hortis frequenter culta.

Herba, foliis decompositis utrinque cano-sericeis, inferioribus bipinnatifidis, summis pinnatifidis indivisisque, florum capitulis subglobosis, secundis, nutantibus, in racemos foliatis paniculatos dispositis. Folia æque ac flores, sub efflorescentiæ initio colligendi, odoris gravis, aromatici, saporis intense amari, acris.

Ne confundas cum *Artemisia vulgari* L., cujus folia superne saturate viridia, subtus albo-tomentosa et minore amaritie prædita.

#### SUB-ACETAS CUPRI.

##### ACETAS BICUPRICUS.

*Cuprum subaceticum. Ærugo. Viride æris.*

Prostat in panibus vel glebis compactis, opacis, tactu asperis, e viridi cærulescentibus, saporis ingrate metallici. In aqua partim, in acido acetico plane solvitur. Caute serva.

#### ACETAS PLUMBI VENALIS.

##### ACETAS PLUMBICUS.

*Saccharum vel sal Saturni s. Plumbi.*

Sal crystallos exhibens minutas, albas, prismaticas, cohærentes, subdiaphanas, nitentes, saporis primum dulcis, dein styptico-metallici, æris contactu superficie subfatiscentes, in aquæ partibus binis solubiles. Servetur in vasis clausis.

Depuretur encheiresi in altera parte Codicis dicta.

### ACETUM.

Liquor limpidus, modo coloris expers, modo flavescens, modo ruber, odoris et saporis excitantis grate acidi, et tantæ aciditatis ut viginti partes ad partem unam carbonatis sodæ exsiccati neutralisandam sufficiant.

Detegitur adulteratio aceti cum acido sulphurico, præcipitatione acetatis plumbi, sedimento in acido nitrico diluto haud solubili; accuratius vero si acetum, admixto saccharo et evaporatione in balneo aquæ ad syrupi consistentiam reductum, colorem fusco-nigrescentem assumat. Dignoscitur inquinatio cum acido chlorhydrico, si in aceto destillato, solutio nitratis argenti sedimentum dejicit album, in liquore ammoniæ causticæ solubile; cum acido tartarico, si acetum, potassa neutralisatum, ope chlorureti calcis præcipitatur. Acrimonia spuria, digestionem vegetabilium acrium effecta, post saturationem cum potassa aut soda, gustu facile dignoscitur. Metalla noxia, aqua hydro-sulphurata et ferro-cyanureto potassæ explorantur. Aceti sedecima pars destillatione abrepta et cum potassa supersaturata, igni admota, fuscum colorem, quo Aldehydum agnoscitur, ne recipiat, nec major alcoholis quantitas ipsi sit immixta.

Acetum vini gallicum aliis præferendum est. Cum chlorureto baryi non nisi præcipitatum tartratis barytæ, acido nitrico solubile, edat.

Vibriones in aceto orti calore 90—100°C. necantur, et ne denuo appareant, asservetur in vasis repletis probe clausis, loco frigido.

### ACIDUM ARSENIOSUM.

*Arsenicum oxydatum album. Arsenicum album sublimatum.*

Massa compacta, valde gravis, alba aut subflavescens, fragilis, in fractura conchoïdea nitens, saporis leviter acris; prunis inspersa, fumi albi ad instar ex toto avolans et alliaceum spargens odorem. In aqua frigida ægre, sed in aquæ fervidæ partibus decem, agitationis ope, solvitur. Cautissime serva.

### ACIDUM CHLORHYDRICUM VENALE.

*Acidum muriaticum crudum.*

Sit incolor aut flavescens, in aëre fumans, ponderis specifici 1,16 usque ad 1,18 (20-22°).

Inquinatur ut plurimum chlorureto ferri, acido sulphurico, acido sulphuroso, etc.; qua de causa ad usum internum adhiberi nequit. Depuretur encheiresi in altera Codicis parte dicta.



ACIDUM NITRICUM VENALE s. CRUDUM.

Liquor peracidus, ponderis specifici 1,34 (36°), in aëre plus minusve fumans, coloris ut plurimum flavescentis ex acidi nitrosi vel ferri, quandoque etiam chlori præsentiâ, orti.

Pro usu interno nonnisi depuratum adhibeatur. Vide secundam Codicis partem.

ACIDUM SULPHURICUM VENALE.

Liquor acidus, maxime corrosivus, incolor aut vix fucescens, olei spissitudine, cum aqua valde incalescens.

Sit ponderis specifici 1,84, vel gradus areometrici 66°. Quoad inquinaciones, vide secundam Codicis partem.

Ad usum internum nonnisi depuratum adhibeatur.

Servetur in vase vitreo probe clauso.

ACIDUM TARTARICUM VENALE.

Crystalli variæ formæ, ut plurimum tamen prismaticæ, albæ, subpellucidæ, saporis peracidi, in aquæ partibus duabus et in alcoholis partibus tribus calore 45° C., solubiles.

Sit liberum ab acido sulphurico, quo humescens redditur, nec non a ni-  
mia tartratis calcis copia, quæ præcipitatur si carbonate ammonico super-  
saturatum fuerit.

ACONITUM, Herba.

*Aconitum napellus* L.; *Aconitum vulgare* Dec. (Polyandria Trigynia L.;  
fam. Ranunculacæ). Planta perennis in locis nemorosis sponte crescens,  
sed in Belgio rara et sæpius in hortis culta.

Folia digitato-palmata ad petiolum usque ter ad quinque partita, laciniata  
et acuminata, glabra, superne læte viridia et nitida, subtus pallidiora,  
saporis intense acris. Flores in racemum densum simplicem dispositi,  
breviter pedicellati, violaceo-cærulei, galeati, galea semi-circulari humili,  
rostro brevissimo, recto, obtuso.

Folia colligantur e planta propediem florifera. Pulvis in vasis luci imper-  
viis et probe clausis servetur, nec ultra annum asservandus.

Ne confundas cum foliis Delphinii intermedii aut montani, minus pro-  
funde partitis et subtus pilosis; neque cum Aconito neomontano Willd,  
cujus flores in racemum laxum subramosum dispositi, galea altior ovata;  
nec cum Aconito variegato L., cujus flores in racemum paniculatum ordi-  
nati sunt.

AGARICUS ALBUS.

*Boletus laricis* L. et Jacq. (Cryptogamia L.; fam. Fungi), in truncis annosis Pini laricis in Europa australi obvius.

Fungus recens semi-orbicularis sed polymorphus, pileo suberoso-carnoso zonato, poris lutescentibus. Siccatus et epidermide liberatus sistit massam levem, tenacem, friabilem, spongiosam, coloris albi in flavum vergentis, saporis primum subdulcis, dein amaricantis acris.

AGARICUS PRÆPARATUS.

*Agaricus Quernus* s. *chirurgicorum*.

*Boletus igniarius* L. et Pers.; *Bol. unguatus*, Bull., in caudicibus betularum, quereuum, tiliarum et fagorum nascens.

Hic fungus cum præcedenti forma convenit. Præparatus prostat decoratus et maceratione in aqua et mallei ictibus in lamellas tenues redactus. Ne sit nitro imprægnatus.

ALCANNA, Radix.

*Achusa tinctoria* L.; *Alcanna tinctoria* Tausch. (Pentandria Monogynia L.; fam. Borraginæ). Planta perennis Barbariæ et Hispaniæ, in Gallia culta.

Radix siccata cylindrico-fusiformis, subramosa, calami scriptorii crassitudine, longitudinaliter rugosa, epidermide nigrescente, cortice sanguineo, ligno crasso pallidiore, pigmento rubro in oleis pinguibus solubili, prædita.

ALCOHOL.

*Spiritus vini simplex*.

Sit liquor limpidus, decolor, volatilis, odoris et saporis proprii grate spirituosus, aqua levior, et oleo plus minusve fœtido plane expers, quod, guttis aliquot in aquam fervidam instillatis, odore ac sapore dignoscitur. Ne residuum evaporatione relinquat.

ALLIUM, Bulbus.

*Allium sativum* L. (Hexandria Monogynia L.; fam. Liliacæ), planta perennis apud nos inter olera culta.

Bulbus subrotundus ex bulbulis plurimis constans membrana alba chartacea junctis, incurvis, acutis, hinc planis, inde convexis, odoris proprii, graveolentis, saporis subdulcis et acris.



ALOE.

*Aloë lucida* s. *Soccotrina*.

Succus gummo-resinosus *Aloes spicatae* Thunb. (Hexandria Monogynia L.; fam. Asphodeleæ), et forsitan aliarum Aloes specierum, in Africa australi crescentium, ex foliis vulneratis vel sponte effluens, vel expressus et inspissatus.

Aloë soccotrina frusta formans irregularia, splendentia, e croceo fusca, margine subpellucida, friabilia, in pulverem pallide luteum terenda, odoris et saporis peramari, nauseosi, subaromatici, in spiritu vini ex toto, in aqua quoad maximam partem solubilia.

A promontorio Bonæ Spei Aloes species advehitur soccotrinæ maxime affinis, at minus pellucida, odoris minus grati aromatici, Capensis dicta.

Pro Veterinariis reservantur Aloë hepatica et Aloë barbadensis, quæ massam sistunt opacam, subfuscam vel bruneam, ad margines non pellucidam. Omnium maxime impura est Aloë caballina.

ALTHÆA, Radix, folia, flores.

*Althea officinalis* L. (Monadelphia Polyandria L.; fam. Malvaceæ). Planta perennis quæ tum in hortis colitur, tum sponte in Belgio crescit.

Radix e planta annosiore colligenda, cylindrico-ramosa, epidermide tenui grisea tecta, intus alba; siccata et decorticata in segmentis prostat albis, digitum calamumve crassis, parum tenacibus, fragilibus, odoris nullius, saporis mucilaginosi, subamaricantis.

Herba sub efflorescentiam colligenda et siccanda, foliis petiolatis alternis, subcordato-ovatis, sublobatis, inæqualiter dentatis, tomentosis, coloris cinereo-viridescens, odoris fere nullius, saporis mucilaginosi.

Flores pallide incarnati, pæne inodori et insipidi.

ALUMEN VENALE s. CRUDUM.

SULPHAS ALUMINICO-KALICUS CUM AQUA.

*Supersulphas aluminæ et potassæ.*

Sal in frustis crystallinis octaedricis, decoloribus, subpellucidis, in aëre paulum fatiscens, saporis subdulcis dein styptici, in aquæ frigidæ sedecim partibus et in aquæ fervidæ una circiter parte solubile, in igne ad massam albam spongiosam tumescens, quam in officinis Alumen ustum vocant.

Cave ne sit nimia quantitate ferri inquinatum. Cum potassa caustica tritum, additis aliquot aquæ guttis, ammoniam non emittat.

#### AMBRA GRISEA.

Invenitur innatans aut ad littora Indiæ orientalis, Africae, Americae meridionalis, etc., et concrementum in *Physetere macrocephalo* L. formatum esse creditur.

Ambra grisea frusta refert variæ magnitudinis, ceræ consistentiæ, tactu pinguiso-resinosa, e nigro cinerea, maculis et striis albicantibus aut flavescens conspersa, fracturæ granosæ, aqua leviora, leni calore liquescentia, odoris pergrati. In æthere sulphurico fere omnis, in spiritu vini tantum ex parte solvitur. Servetur in vitris clausis.

#### AMOMI BACCÆ.

*Piper Jamaïcense, Pimenta.*

*Myrtus Pimenta* L. (*Icosandria Monogynia* L.; fam. Myrtinæ), arbor Indiæ occidentalis.

Baccæ immaturæ et siccatæ magnitudinis piperis nigri, vel paulum majores, globosæ, duræ, subrugosæ, umbilicatæ, e fusco nigrae, biloculares, seminibus subrotundis, compressis, fuscis, nitidis, odoris aromatici grati, saporis partim caryophyllorum, partim nucis moschatæ. Maturæ multum aromatis perdidere.

#### AMMONIACUM GUMMI.

*Dorema armeniacum* Don; *Ferula orientalis* L. (*Pentandria Digynia* L.; fam. Umbelliferae). Planta Africae orientalis, Persiæ, etc.

Gummi-resina aut ex granis variæ magnitudinis, albo-flavescentibus, intus albidis, subnitidis, opacis, ut plurimum inter se conglutinatis (Amm. in granis), vel ex substantia flavescente seu rufescente cum granis subru-  
fis intermixta, constans (Amm. in massis), tenax, frigore dura, inter digitos parce mollescens, odoris proprii ingrati, saporis amaro-nauseosi, subacris.

Ammoniacum eligatur potissimum in granis, vel in glebis, quibus copiosa grana albo-flavescentia intermixta sunt. Tempestate gelida redigatur in pulverem, ab adhærentibus quisquiliis ope cribri setacei secernendum.

#### AMYGDALUS, Fructus.

*Amygdalus communis* L. (*Icosandria Monogynia* L. fam.; Rosaceæ). Arbor in Oriente et Africa boreali sponte crescens et in Europa meridionali culta.



Amygdalæ dulces nuclei sunt ovati, hinc illinc compressi, acutiusculi, epidermide tenui, subscabra, coloris e rubro fusci tectæ, odoris fere nullius, saporis grati, oleoso-mucilaginei.

Amygdalæ amaræ conveniunt cum dulcibus excepto sapore, qui in hisce amarus, propter Amygdalinam quam continent; humectatæ odorem Laurocerasi spargunt.

Sint recentes, siccæ, fragiles, torosæ, non rancidæ, nec maculis flavis, intus conspicuis, notatæ.

#### AMYGDALUS PERSICA, Flores.

*Amygdalus Persica* L.; *Persica vulgaris* Mill. (Icosandria Monogynia L.; fam. Rosaceæ). Arbor Orientis apud nos culta.

Flores laterales, sessiles, solitarii, læte violaceo-rubri, odoris levis grate aromatici, saporis amaro-amygdalini, ante anthesin colligendi celeriterque siccandi.

#### AMYLUM MARANTÆ s. ARROW-ROOT.

E tuberibus *Marantæ arundinaceæ* L.; *Marantæ indicæ* Rosc. (Monandria Monogynia L.; Cannaceæ R. Brown), et aliarum Marantæ specierum, plantarum perennium Indiæ orientalis et occidentalis, præsertim Jamaïcæ, paratur.

Sit pulvis albissimus, subtilissimus, inodorus, insipidus, ex granulis plus minusve angulosis et nitentibus constans. In aqua fervida solvitur, gelatinam edens inodoram, fere pellucidam, quam iodum colore cœruleo tingit.

Ne sit amylo Solani tuberosi adulteratum, quod detegendum forma spheroidæ granulorum et, si opus est, odore quasi herbaceo, siliquis Phaseoli recentibus persimili, quem fæcula spargit si cum æquali parte acidi chlorhydrici concentrati misceatur et dein aqua diluatur.

#### AMYLUM s. FÆCULA SOLANI TUBEROSI.

E tuberibus *Solani tuberosi* L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Solaneæ), plantæ notissimæ ex America meridionali ortæ, elicitur.

Pulvis albissimus, insipidus, inodorus, globulis microscopicis forma et volumine majori a globulis amyli Tritici discrepantibus, constans. Proprietatibus chemicis vide Amylum Tritici.

#### AMYLUM TRITICI.

E farina seminum *Tritici hyberni* et *Tritici turgidi* L. (Triandria digynia L.; fam. Gramineæ), relicto principio glutinoso, aqua frigida clota, obtinetur.

Pulvis subtilissimus, albus, odoris et saporis proprii, ex globulis minutissimis, subrotundis constans. Nec aqua frigida, nec alcoholē solvitur; cum aqua calida vero in gelatinam abit glutinantem, diaphanam, refrigeratione spissam, quæ, addito iodo, colorem cæruleum assumit.

Sit siccum, albissimum, nec combustum substantias minerales relinquat.

#### ANGELICA, Radix.

*Angelica archangelica* L.; *Angelica officinalis* Hoffm. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferae). Planta biennis Europæ præsertim borealis, in hortis culta.

Radix (Rhizoma) fusiformis, pollicem et ultra crassa, rugosa, radicellis instructa numerosis, longis, implicatis, superne calamum scriptorium circiter crassis, extus nigro-fuscis, intus albidis, odoris fortis proprii, grate aromatici, saporis primum aromatici et dulcis, dein subacris et amaricantis. Longitudinaliter secta in canalibus exiguis flavam prodit gummi-resinam. Servetur in vasis clausis.

Ne substituatur radix Angelicæ sylvestris L., odoris et saporis debilioris.

#### ANGUSTURA, Cortex.

*Bonplandia trifoliata* Willd.; *Angustura cusparia* Roem et Schult. (Pentandria Monogynia L.; fam. Rutaceæ). Arbor Americæ meridionalis.

Cortex in frustis planiusculis aut convexis, 4 ad 5 millim. crassis, 5 ad 12 centim. longis, 4 ad 5 centim. latis, extus epidermide cinereo-albida, rugis minutis aspera, superficie interna e flavo fusca, lævi, fractura splendente et resinosa, nunquam fibrosa, odoris proprii, aromatici, subnauseosi, saporis subaromatici, subacris, intense amari.

Infusum aut decoctum refrigeratione clarefactum, affuso sulphate ferroso soluto, sedimentum e luteo album, præbet.

Ne substituatur cortex spurius seu Strychni Nucis vomicæ, summe lethalis, externe cinereus, verrucis albis et maculis rubiginosis notatus, interne nigrescens, fractura cinereo-alba, saporis intensissime amari, nauseosi, haud aromatici; cujus infusum, solutione sulphatis ferrosi instillata, ab initio colore virescente tingitur, dein sedimentum nigrum demittit. Gut-tula acidi nitrici, faciei internæ corticis spurii apposita, maculam rubram, Brucinæ sive Brucii indicium, producit.

#### ANISUM STELLATUM, Semen.

*Illicium anisatum* L. (Polyandria Polygynia L.; fam. Magnoliaceæ), arbor Asiæ orientalis et insularum Philippinarum.



Capsulæ sejuges octojugesve, in stellæ formam dispositæ, compressiusculæ, coriaceæ, extus rugosæ, intus lævigatæ, ex fulvo fuscae vel ferrugineæ, uniloculares, margine superiore dehiscentes, semina includentes ovata, leniter compressa, utrinque obtusa, fusca, nitida, odoris aromatici grati, saporis subdulcis, anisati.

ANISUM VULGARE, Semen.

*Pimpinella anisum* L. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferæ), planta annua orientalis, in Europa culta.

Semina parva, ovata vel subglobosa, longitudinaliter striata, pubescentia, viridia, odoris fragrantis, saporis subdulcis, aromatici.

AQUA.

Pro usu pharmaceutico sit limpida, insipida, odoris expers, nec quiete, nec lucis influxu turbetur.

ARGENTUM FOLIATUM.

Argentum in laminas tenuissimas redactum; in acido nitrico 36° plane solvatur et solutum cum ammonia liquida colorem non excitet cæruleum.

ARISTOLOCHIA, Radix.

*Aristolochia rotunda* L. (Diadelphia Hexandria L.; fam. Aristolochiæ). Planta perennis Europæ meridionalis.

Radix siccata, subglobosa, tuberosa, ponderosa, rugosa, dura, extus griseo-fusca, intus ex pallido flava, subporosa, odoris nauseosi, saporis ingrate amari, aromatici.

Hodie solummodo a veterinariis præscribitur.

ARMORACIA, Radix.

*Cochlearia armoracia* L. (Tetradynamia Siliculosa, L.; fam. Cruciferæ). Planta perennis, indigena.

Radix longa, fusiformis, pollicem circiter crassa, ramosa, nodulis aspersa subrotundis, externe subfusca et rugis transversis annulata, interne alba, succulento-carnosa, odoris, si recens, pungentis, acris, saporis similis.

ARNICA, Flores, Radix.

*Arnica montana* L. (Syngenesia Polygamia superflua L.; fam. Compositæ). Planta perennis, indigena.

Flores compositi, radiati, flavi, solitarii, erecti; flosculis radii longis,

angustis, ligulatis, flosculis disci tubulosis, quinquedentatis, omnibus infra papposis, odoris, præcipue dum teruntur, proprii, haud grati, aromatici, saporis subamari acris.

Radix (Rhizoma) simplex, teres, flexuosa, vix calamum scriptorium crassa, latere inferiori radiculis densis, longis, distantibus et filiformibus obsessa, rugosa, annulata, extus fusca, intus sordide alba, odoris aromatici, nauseosi, saporis acris, amari.

Ne confundatur cum radice Solidaginis Virgæ aureæ, valde simili, sed distincta rhizomate crassiori, griseo-fusco, et radiculis numerosioribus, ut plurimum tenuioribus.

#### ARTEMISIA, Radix, Herba florens.

*Artemisia vulgaris* L. (Syngenesia Polygamia superflua L.; fam. Compositæ). Planta perennis herbacea, indigena.

Radix (Rhizoma) subcylindrica, calamum scriptorium ad digitum crassa, fibris ramosis utrinque obsessa, longitudinaliter quodammodo rugosa, extrinsecus fusca, intus alba, odoris proprii haud grate aromatici, subdulcis, mucilaginosi, dein acris.

Folia sunt sessilia, lata, supra viridia, subtus albo-tomentosa, radicalia profunde pinnatifida, laciniis lanceolatis subdentatis, acutis, superiora subintegerrima, lineari-lanceolata. Flores ex racemis axillaribus et spiciformibus emergentes, parvuli, erecti, rubelli vel flavescentes, extus tomentosi.

Herba cum summitatibus florentibus colligenda celeriterque siccanda, odoris grate aromatici, saporis parvi, simul amariusculi, subacris.

#### ASA FOETIDA.

*Ferula Asæ foetida* L. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferae), plantæ perennis Persiæ, succus gummo-resinosus e radice sauciata effluens et aëris contactu in grumos tenaces mutatus.

Adfertur in glebis seu granis extus ochroleucis aut roseo-fuscis, intus albidis, plerumque inter se conglutinatis, interdum diaphanis, pinguiusculis, frigore fragilibus, calore manuum facile emolliendis, odoris fœtidissimi, suballiacei, penetrantis, saporis acris, amaricantis. In alcohol ultra dimidia pars solvitur.

Præferenda Asa foetida in granis seu electa, quamplurimum continens fragmenta amygdaliformia. Pro veterinariis asservandæ sunt massæ fusco-nigrescentes, odoris debilis aut alieni, stipitibus aliisque quisquiliis inquinatæ.

Servetur in loco frigido, intra vasa clausa vel vesicas colligatas.



ASARUM EUROPÆUM, Radix, Folia.

*Asarum Europæum* L. (Dodecandria Monogynia L.; fam. Aristolochiæ).  
Planta perennis, indigena.

Radix (Rhizoma) parva, repens, calamum corvinum circiter crassa, quadrigona, geniculata, fibrosa, fibrillis multis obsita, coloris extus cinereo-fusci, intus ex albo flavicantis, odoris gravis, subaromatici ad Valerianam accedentis, saporis ex amaro acris, nauseosi.

Folia petiolata, reniformia, integerrima, supra cum nitore obscure viridia.

ASPARAGUS, Radix, Turiones.

*Asparagus officinalis* L. (Hexandria Monogynia L.; fam. Asparagineæ).  
Planta perennis Europæ meridionalis, in Belgio copiose culta.

Radix seu potius caudex subterraneus, crassus, horizontalis, ramosus, inferne fibrillis numerosis, longis, carnosus, calamum scriptorium crassis, obsitus, recens albidus, succulentus, odoris fere nullius, saporis subdulciusculi. Ineunte vere ex radice emergunt turiones edules qui Asparagineam continent, sæpiusque quam radix adhibentur.

AURANTIA. Vide CITRUS AURANTIUM.

AURUM FOLIATUM.

Aurum in lamellas tenuissimas redactum; sit in acido nitrico plane insolubile.

AVENA, Semen.

*Avena sativa* L. (Triandria Monogynia L.; fam. Gramineæ). Planta annua notissima.

Semina excorticata, odoris farinosi mitis, in loco sicco, aëre libero, servanda.

AXUNGIA.

*Adeps suillus*.

Nonnisi bene elota adhibeatur. Servetur in vasis porcellaneis, loco frigido. Sit recens nec rancida.

BALSAMUM COPAIVAE.

*Balsamum de Copaiãba. Oleo-resina Copaiãvæ.*

Resina liquida, sponte stillans e sauciato cortice *Copaïferæ multijugæ* Mart. aliarumque *Copaïferæ* specierum (Decandria Monogynia L.; fam. Cæsalpineæ), arborum Indiæ occidentalis, Americæ meridionalis et præsertim Brasiliæ.

Balsamum pellucidum, pallide flavum, olei ricini consistentiæ, odoris pro-

prii, fragrantis, aromatico-balsamici, saporis primum oleosi, dein amariusculi, subacris, ponderis specifici 0,950, in alcohole, æthere et oleis solubile.

Sit genuinum, nec Terebinthina, nec oleo pingui adulteratum. Terebinthina, balsamo ferro candenti instillato, odore proprio sese prodit.

Quum pars una ammonii caustici 22° cum binis partibus et dimidia balsami Copaivæ in tubo vitreo clauso, temperatura 10° ad 15° C., miscetur, liquidum brevi tempore limpidum evadit, si balsamum purum est; lactescens vero remanet, si cum oleo pingui adulteratur. Gutta balsami puri chartæ scriptoriæ apposita, leni igne celeriter exsiccat, eo modo ut pelliculam siccam, translucentem, absque annulo oleoso, relinquat.

Balsamum genuinum purum cum sedecima parte magnesiæ ustæ mixtum, post plures dies consistentiam pilularem acquirit; quod non fit si oleo pingui inficitur. Serva in vitris obturatis.

#### BALSAMUM PERUVIANUM NIGRUM.

*Myroxylon peruvianum* L.; *Myrospermum peruvianum* Dec. (Decandria Monogynia L.; fam. Papilionaceæ). Arbor Americæ meridionalis imprimis in Peru crescens.

Balsamum rubro-fuscum, oleosum, spissiusculum, ponderosum, in massa opacum, odoris suavis, siliquæ Vanillæ affinis, saporis primum mitis, dein fervidi, acris, subamari, pond. specif. 1,140 — 1,150. In spiritus vini 89° C. sex partibus fere ex toto solvitur, solutione primum turbida, tum calore adhibito limpida, sedimento pauco.

Balsamum peruvianum sæpe adulteratum invenitur cum alcohole, oleis pinguibus aut balsamo Copaivæ. Prior detegitur imminutione voluminis, quam balsamum agitatione cum aqua in tubo vitreo subit. Olea pingua, oleo ricini excepto, solutione balsami in alcohole 28° innotescunt. Genuinum cum acido sulphurico placide coit, sed cum balsamo Copaivæ adulteratum, valde intumescit, vaporesque sulphureos emittit.

Balsamum sit clarum, aqua ponderosius, odoris fragrantis ab odore balsami Copaivæ alieni, destillatione cum aqua oleum æthereum non edens.

#### BALSAMUM TOLUTANUM.

*Balsamum de Tolu.*

*Myroxylum toluiferum* Rich. (Decandria Monogynia L.; fam. Papilionaceæ), arbor Americæ meridionalis.

Resina plus minusve sicca, translucens, dentibus inter masticandum adherens, coloris ex flavo fusci, odoris suavis balsamico-benzoïni, subcitri, saporis mitis, aromatici. In alcoholis partibus sex solvitur.



BARDANA, Radix.

*Arctium Lappa* L. (Syngenesia Polygamia æqualis L.; fam. Compositæ).  
Planta biennis ubique obvia.

Radix, e plantis biennibus nondum caulescentibus colligenda, cylindrico-fusiformis, simplex vel subramosa, superne digitum et ultra crassa, sub cortice nigricante carnem albam cum medulla centrali spongiosa, complectens. Recens odorem spirat gravem, subnarcoticum; siccata inodora est cum sapore dulciusculo, mucilaginoso, subamaro. Rejicienda annosior, lignosa, mucida.

BASILICUM, Herba florens.

*Ocimum basilicum* L. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatae).  
Planta annua Indiæ orientalis, nobis hortensis.

Planta caule erecto, subtetragono, pubescente, ramoso; foliis petiolatis, ovato-lanceolatis, subserratis, glabris, subtus punctatis; floribus racemoso-verticillatis, subpedunculatis, corollis albidis aut rubellis. Tota planta odoris fragrantissimi, suaveolentis.

BELLADONNA, Radix, Folia.

*Atropa Belladonna* L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Solanæ). Planta perennis, indigena.

Radix crassa, plus minusve ramosa, leviter annulata, extus e flavo fusca aut grisea, intus albida, succulento-carnosa, odoris ingrati, narcotici, saporis cum acredine exigua subdulcis et paululum adstringentis.

Radix stirpium adultarum sub ætatis finem effodienda, celeriter cauteque siccanda et in vasis clausis, loco sicco, servanda.

Folia magna, ovato-lanceolata, in petiolum attenuata, integerrima, superne saturatius viridia, glabra, subtus pilis brevissimis præcipue ad nervos prædita, saporis fatui, nauseosi, amariusculi. Sumantur e planta sponte nascente et propediem florifera, nec ultra annum servantur.

BENZOE.

*Gummi s. Resina Benzoin.*

*Styracis Benzoin* Driand.; *Lithocarpis Benzoin* Blum. (Decandria Monogynia L.; fam. Styracæ), arboris regni Siamensis et Archipelagi Indiarum orientalium, resina sponte vel ex trunco vulnerato exsudans, aëreque indurata.

Adfertur in placentis seu glebis magnitudine variis, extus sæpe foliorum arundineorum vestigiis impressis. Substantia est luteo-fusca, opaca, fria-

bilis, fracturæ resinosæ, frustulis subrotundis, albidis, diaphanis plus minus intermixta, odoris suavis, proprii, saporis primum subdulcis, dein balsamico-acris, pungentis. Quo plura continet frusta pellucida et alba, eo melior Benzoe, quæ Amygdaloides tunc dicitur. In tribus spiritus vini rectificati partibus fere ex toto, in æthere sulphurico pro maxima parte solvitur.

#### BETONICA, Herba.

*Betonica officinalis* L. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatæ). Planta indigena in nemoribus obvia.

Herba foliis oppositis, inferioribus longe petiolatis, oblongo-cordatis, obtusis, crenatis, superioribus fere sessilibus, odoris debilis nauseosi, saporis ingrati, amari. Flores caulem terminantes, verticillati, parvi, purpurei.

#### BISMUTHUM.

Metallum fragile, ex albo rubicundum, splendens, texturæ lamellosæ, leni igne liquescens, in acido nitrico solubile, ponderis specifici 9,822. Pro usu interno depurandum est.

#### BISTORTA, Radix.

*Polygonum bistorta* L. (Octandria Trigynia L.; fam. Polygoneæ). Planta perennis in pratis humidis præsertim montosis, crescens.

Radix cylindrica, subcompressa, inflexa, pollicaris, undique fibris filiformibus obsita, extus nigro-fusca, annulata, intus rubra, carnosa, odoris fere nullius, saporis peradstringentis.

#### BOLUS ARMENA.

Terra argilacea olim ex Oriente advecta, nunc in Gallia, Germania, etc., reperta.

Frusta amorphæ, pallide fusco-rubra, tactu pinguis, depingentia, lævia, linguæ adhærentia, fracturæ terreæ plus minusve conchoïdæ, odoris argillacei, saporis parum constringentis. Aquæ immersa cum strepitu dissiliant et cum acidis non effervescant.

Depuretur encheiresi in parte secunda Codicis dicta.

#### BORAS SODÆ.

##### BORAS NATRICUS.

*Borax. Natrum boricum.*

Borax in frustis prostat crystallinis, nitentibus, decoloribus, subdiaphanis,



duris, in aëre parum fatiscantibus, saporis primum mitis dulciusculi, dein alcalino-amari. In duodecim partibus aquæ frigidæ, et in duabus aquæ bullientis plane solvitur. Curcumam rubro-fuscam tingit. In alcohole sit insolubilis; acidis non effervescat, ejusque solutio aquosa, addita solutione carbonatis potassæ, non turbetur. Serva in vitris epistomiis vitreis clausis.

**BORRAGO, Folia, Flores.**

*Borrigo officinalis* L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Borraginææ).  
Planta annua orientalis, nunc in Europa vulgatissima.

Herba foliis magnis, radicalibus longe petiolatis, patentibus, ovatis, obtusis, ciliatis, utrinque hispidis, caulinaribus sessilibus, subdecurrentibus, ovato-lanceolatis. Odoris sunt fere nullius, saporis herbacei.

Flores, caulem ramosque terminantes, in racemos unilaterales, bipartitos congesti, corolla cœrulea, rotata, quinque partita. Recentes odoris sunt debilis mellacei, et saporis vix ullius.

Cave ne substituantur flores Echii vulgaris, tubuloso-campanulati, ore obliquo.

**BROMUM s. BROMIUM.**

Liquidum maxime volatile, coloris e fusco obscure rubri, odoris fortis, ingrati, ad odorem chloricum accedentis, saporis acris, caustici. Temperatura ordinaria, vapores rutilantes emittit et calore 65° C. ebullit.

In aqua parum solvitur, copiosius in alcohole, optime in æthere.

Pondus spec. 2,97.

Servetur in lagenis quam arctissime clausis.

**BRYONIA, Radix.**

*Bryonia alba* L.; *Bryonia dioica* Jacq. (Monœcia Monadelphia L.; fam. Cucurbitacææ). Planta perennis, indigena, in sepibus et locis umbrosis frequens.

Radix fusiformis, prægrandis, sæpe bifida, carnosa, rugoso-annulata, externe griseo-flava, interne alba, recens succo lacteo scatens, odoris herbacei nauseosi, saporis acris, amari. In taleolas dissecta filis appendendas siccetetur.

**BUTYRUM.**

Sit odoris expers, saporis blande grati, a sero liberum, nec sale conditum. In æthere plane solvatur.

CACAO, Semen.

*Theobroma cacao* L. (Polyadelphia Decandria L.; fam. Buttneriaceæ). Arbor Americæ meridionalis.

Semina ovato-oblonga, utrinque obtusa, compressa, dura, fere amygdalarum magnitudine, sub cortice chartaceo, rugoso, fragili, nucleum fuscum, pingue-nitentem, friabilem, oleosum includentia, odoris vix ullius, saporis proprii grati, amariusculi.

CAINCA s. CAHINCA, Radix.

*Chiococca scandens* Riedel.; *Chiococca anguifuga* Mart. (Pentandria Monogynia L.; fam. Rubiaceæ), frutex Antillarum et Americæ meridionalis.

Radix cylindrica, ramosa, 5 ad 12 centim. longa, ramis plus minusve tortis, pennam anserinam usque ad digitum minorem crassis, griseo-fusca, rugosa, annulato-nodosa, intus albida vel subflavescent, lignosa, tenax, odoris debilis ingrati, saporis aromatici, amariusculi, subacervi. Pars centralis fere insipida et inodora est.

Ne confundatur cum radice Caincæ falsæ, cujus lignum colore luteo tingitur.

CAJEPUT, Oleum.

*Melaleuca leucadendron* L.; *Melaleuca cajeput* Roxb. (Polyadelphia Icosandria L.; fam. Myrtaceæ). Arbuscula Indiarum orientalium, imprimis insularum Moluecarum.

Oleum æthereum e foliis et cortice destillatum, tenue, pallide viride vel flavescens, pellucidum, odoris fragrantis camphoracei, saporis similis, subamari. Pond. specif. 0,92—0,94.

Hoc oleum sæpius cupri vestigia continet, quod detegitur ope liquoris ferro-cyanureti potassii, qui colorem producit fusco-rubrum, oleo antea cum acido nitrico diluto commixto. Oleum sic adulteratum non nisi ad oleum rectificatum inde parandum, adhibeatur.

Rejiciendum est oleum quod alcohole non perfecte solvitur aut destillatione Camphoram relinquit.

CALAMUS AROMATICUS, Radix.

*Acorus calamus* L. (Hexandria Monogynia L.; fam. Aroïdeæ). Planta perennis indigena, palustris.

Radix (Rhizoma) cylindrica, 2 centim. circiter crassa, subcompressa, geniculata, cicatricibus numerosis ex resectis radiculis notata, extus pallide



fusca, intus spongiosa, ex albo rufescens, odoris fragrantis grati, saporis aromatici, acris, amariusculi. Siccetur non decorticata.

#### CALX VENALIS.

*Calx viva s. usta.*

E lapidibus calcariis forti ustione paratur. Sit alba, solida, friabilis; ab aqua affusa valde incalescat et intumescat, ac in pulverem subtilissimum dilabatur. Serva in loco sicco, cistis bene clausis.

#### CAMPHORA.

$C^{20} H^{16} O^2$

*Laurus camphora* L.; *Cinnamomum camphora* Nees ab Esemb. (Encandria Monogynia L.; fam. Laurineæ). Arbor Indiæ orientalis præsertim in Japonia frequens; ex cujus ramis et foliis dissectis, destillatione cum aqua, obtinetur Camphora cruda dicta, quæ in Europa sublimatione depuratur.

Camphora depurata est alba, nitida, luci quidquam pervia, fragilis, ad attactum subpinguis, compagis subcrystallinæ, odoris proprii, fragrantis, saporis acris, aromatici, amaricantis, cum sensu primo ustionis, postea refrigerationis insignis. Aëri libero exposita sensim avolat; accensa absque residuo deflagrat; in aqua parum, sed in spiritu vini nec non in ætheribus et in oleis, tum unguinis, tum æthereis, plane solvitur. Pond. specif. 0,98.

Camphora Borneoensis seu Sumatrensis ( $C^{20} H^{18} O^2$ ), quam Dryobalanops camphora Col. producit, a priori specie paulum diversa, vix adhibetur.

#### CAMPECHIANUM s. CAMPECHENSE LIGNUM.

*Hæmatoxylon campechianum* L. (Decandria Monogynia L.; fam. Cæsalpineæ). Arbor Indiæ occidentalis et Americæ australis.

Lignum tinctorium durum, ponderosum, e fusco rubrum cum nitore viridescenti, texturæ fibrosæ, saporis subdulcis, subadstringentis, inter rodendum odorem Iridis florentinæ referens. Prostat in segmentis ut plurimum cortice et albarno destitutis.

#### CANCROCORUM LAPIDES.

*Oculi cancrorum.*

Concrementa e ventriculo *Cancris astaci* L. s. *Astaci fluviatilis* Fabric.

Calculi rotundi, albi, parvuli, glabri, hinc convexi, illinc cum margine elevato subconcavi, texturæ lamellosæ.

Præter parvam gelatinæ quantitatem, maxima ex parte carbonate calcis, in acido acetico vel chlorhydrico diluto solubili, constituuntur. Rejiciantur artificiales ex terra calcaria et Tragacantha parati, in acido prædicto sine residuo gelatinæ solubiles.

#### CANNABIS, Semen.

*Cannabis sativa* L. (Diœcia Pentandria L.; fam. Urticeæ), planta annua in Belgio culta.

Semina notissima.

*Cannabis sativa*, varietas Indica, resinam præbet Cannabinam dictam, alcoholi et æthere solubilem.

#### CANTHARIDES.

*Meloe vesicatorius* L.; *Litta vesicatoria* Fabric., insectum Coleopterum Europæ meridionalis et mediæ.

Insecta oblonga, 18 ad 25 millim. longa, coloris aureo-viridis, splendidi, in cœruleum tendentis, antennis nigris, filiformibus instructa, odoris virosi fere picci, principio acri, vesicante prædita. Eligantur recentia, graveolentia, apte siccata. Cave ne sint oleo illita. Serventur in vitris bene clausis.

#### CAPILLUS VENERIS, Herba.

*Adiantum Capillus Veneris* L. (Cryptogamia L.; fam. Filicaceæ). Filix Europæ et Americæ meridionalis.

Herba, frondibus in stipite lævi, nigrescente bipinnatis, pinnulis cuneatis apice rotundatis, lobatis, odoris fere nullius, saporis subadstringentis, amariusculi.

Ne confundatur cum Adianto pedato, nec cum Asplenio Adianto nigro.

#### CARAGAHEEN s. CARRAGAHEEN. CARRAGEEN.

*Lichen Caragaheen. Fucus s. Muscus Caragaheen.*

*Fucus crispus* L.; *Chondrus crispus* Lyngb. (Cryptogamia L.; fam. Algæ). Alga maritima ad littora Sueciæ, Daniæ, etc., frequens.

Siccatus adfertur in segmentis polymorphis, digitum et ultra longis, dichotome laciniatis, cartilagineis, subdiaphanis, ochroleucis, subfuscis vel ex flavo badiis, odoris debilis, marini, saporis subsalsi, mucilaginosi. Mucilaginem Bassorinæ similem et Iodi vestigia continet.

#### CARBO ANIMALIS.

Combustione ossium mammalium, in vasis destillatorii obtinetur.



Characteres notissimi. Rejiciantur carbones alcalini aut qui gas hydro-sulphuratum, affuso acido diluto, emittunt.

### CARBO LIGNI.

Eligantur carbones in frustis magnis, solidis, fragilibus, levibus, quodammodo sonoris, figuram ligni retinentibus, nitidis, urendo nullum fœtorem spargentibus.

### CARBONAS AMMONIÆ VENALIS.

*Ammonium carbonicum. Subcarbonas ammoniæ. Alkali volatile concretum.*

Sal in officinis chemicis paratus, albus, plerumque amorphus, saporis alcalini, fauces naresque irritans, in igne plane avolans, in aquæ duabus partibus solubilis. Pro inquisitionibus et depuratione vide secundam Codicis partem. — Servetur in vasis clausis.

### CARBONAS MAGNESIÆ.

*CARBONAS MAGNESICUS CUM AQUA.*

*Subcarbonas magnesiæ. Magnesia hydrico-carbonica. Magnesia alba.*

Pulvis albus, subtilissimus, levis, odore ac sapore carens, aqua haud solubilis. Igne decomponitur, aquam acidumque carbonicum emittens et magnesiæ puram relinquens. Acido sulphurico diluto inter effervescendum plane solvitur; quæ solutio ope ammonii oxalici non præcipitatur, sed ammonia caustica excedente commixta, sedimentum album exhibet, ammonio carbonico, at non potassa caustica solubile.

Constat ex carbonate magnesiæ, magnesia hydrica et aqua.  $3 (\text{MgO}, \text{CO}^2 + \text{HO}) + \text{MgO}, \text{HO}$ .

### CARBONAS PLUMBI VENALIS.

*Subcarbonas plumbi. Cerussa.*

Sal ex carbonate et oxydo plumbico constans. Prostat in massis coloris albissimi, ponderosis, amorphis aut lamellatis, vel arte in tabulas aut in conos formati, facile in pulverem terendis.

Acido nitrico sit perfecte solubile; solutio, post præcipitationem plumbi ope liquoris ammonii caustici, affusa oxalatis potassæ solutione, non turbetur.

### CARBONAS POTASSÆ VENALIS.

*Subcarbonas potassæ. Kali carbonicum crudum. Potassa cruda.*

*Cineres clavellati.*

Eligatur in globulis minoribus vel in massis fragilibus, cavernulosis,

coloris albi aut e griseo cœrulescentis, facile in aëre libero deliquescentibus, saporis lixiviosi. Non nisi exploratione alcalimetria vis ejus dignosci potest. Contineat minimum 70 p. C. carbonatis potassæ puri.

Rejiciatur potassa, acido sulphurico diluto affuso, gas hydro-sulphuratum emittens, et ea quæ carbonate sodæ adulterata est.

#### CARBONAS SODÆ VENALIS.

*Soda. Sal sodæ crudus. Alkali minerale.*

In massis prostat irregulariter crystallinis, pellucidis, aëre fatiscentibus, reactionis et saporis alcalini. Igne liquatur aquam emittens. Solvitur in binis partibus aquæ frigidæ. Rejiciatur qui metallis inquinatus est, aut qui, affuso acido sulphurico diluto, gas acidum hydro-sulphuratum vel sulphurosum emittit.

#### CARDAMOMUM MINUS, Semen.

*Alpinia cardamomum* Roxb.; *Elettaria cardamomum* Maton. (Monandria Monogynia L.; fam. Amomeæ). Planta perennis Indiæ orientalis.

Fructus est capsula triquetra, 8 ad 12 millim. longa, membranacea, striata, pallide lutea, semina fovens parva, rugosa, angulosa, fere tetragona, utrinque truncata, extus rufescentia aut nigrescentia, intus alba, odoris grati aromatici, saporis fragrantis, calidi, subcamphoracei. Rejiciantur capsulæ pro usu.

#### CARDUUS BENEDICTUS, Herba.

*Centaurea benedicta* L. (Polygamia Frustranea L.; fam. Compositæ). Planta annua Europæ meridionalis, apud nos in hortis culta.

Herba foliis alternis, semi-decurrentibus, oblongis, margine sinuatis, denticulato-spinosis, hirsutis. Capituli solitarii, terminales, lutei et flosculosi. Planta recens odorem spirat ingratum, siccando evanescentem; saporis est amari, subsalsi.

Sit herba siccata viridis absque stipitibus, florumque capitulis.

#### CARICÆ.

*Ficus Carica* L. (Monœcia Triandria L.; fam. Urticæ), arbor Europæ meridionalis et Orientis.

Fructus siccati notissimi. Eligantur caricæ pingues, dulcissimæ, ponderosæ; rejiciantur nigre, duræ, aut ab insectis erosæ.



CARVI, Semen.

*Carum Carvi* L. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferae). Planta biennis Europae praesertim meridionalis, in Belgio rarissima.

Semina parva, ovato-oblonga, striata, quinque costata, subincurva, obscure fusca, glabra, odoris fragrantis, saporis aromatici, acris, calidiusculi, amari.

CARYOPHYLLATA, Radix.

*Geum urbanum* L. (Icosandria Polygynia L.; fam. Rosaceae). Planta perennis Europae, in locis incultis et ad sepes frequens.

Radix (Rhizoma) e capitulo brevi coniformi, digitum circiter crasso, extus subfusco, imprimis ex apice, radiculos numerosos, tenues, longos, emittens. Intus est coloris ex albo rubelli, odoris aromatici ad Caryophyllum accedentis, saporis similis amari et adstringentis.

CARYOPHYLLI AROMATICI, Flores.

*Caryophyllus aromaticus* L.; *Eugenia caryophyllata* Thunb. (Icosandria Monogynia L.; fam. Myrtaceae). Arbor Indiae orientalis, in insulis Moluccis frequens.

Flores inexplicati siccati, claviculis minoribus non absimiles, obscure rubro-fusci, odoris proprii grati, fragrantis, saporis aromatici, calidi, acris, amaricantis. Seligantur grandes, egregie rufi, ponderosi, fragiles, triti odoratissimi et oleum exsudantes. Serva in vasis clausis

Caryophylli ad maturitatem usque in arbore relictis, Anthophylli dicuntur.

CASCARILLA, Cortex.

*Croton cascarilla* L.; *Croton Eluteria* Sw. (Monœcia Monadelphia L.; fam. Euphorbiaceae). Frutex Americae meridionalis, in Peru, Jamaica, etc., frequens.

Cortex ramorum in segmentis occurrens convolutis, 4 ad 6 centim. longis, 2 millim. circiter crassis, compactis, duris, ponderosis, hinc inde nodosis, epidermide cinerea rugosa haud raro lichenibus variis maculata, vestitis, extus e fusco ferrugineis, fracturae resinosae, saporis amari, aromatici, acris, odoris debilis, sub contusione aut accensione fragrantioris, aromatici, submoschati.

CASSIA FISTULA, Fructus.

*Cassia fistula* L. (Dodecandria Monogynia L.; fam. Leguminosae). Arbor in utraque India et Arabia crescens.

Capsulæ leguminosæ duræ, cylindricæ, rectæ, 2 ad 3 centim. crassæ, 30 centim. et ultra longæ, nigricantes, inter diaphragmata papyracea pulpam mollem, nigram, grate dulcem, et semina subrotunda, compressa, nitida, fulva, complectentes.

#### CASTOREUM.

*Castor fiber* L., animal e Mammalium classe, in America septentrionali nec non in Europa et Asia meridionali, præsertim ad ripas fluminum et lacuum, habitans.

In folliculis compressis, glabris, prope genitalia Castorei sitis, ovi gallinacei magnitudinem æquantibus, intertextum membranulis tenuioribus, venale Castoreum prostat.

Castoreum Siberinum, omnibus aliis speciebus antefendum, sed in commercio rarissimum, ponderosum, in magnis folliculis turgescens inclusum, membranulis tenuibus intertextum, friabile, non autem totum exsuccum, e luteo fuscum, odoris proprii fortissimi, nauseosi, saporis amaricantis, subacris.

Castoreum Canadense seu Americanum, Anglicum dictum, folliculis contentum minoribus, magis oblongis, corrugatis, externe rugosis, involucre tenuiore vestitis, magis nigris, massam sistit duriorem, fractura nitentem et odoris debilioris.

Rejiciatur Castoreum artefactum, quem distinguunt color niger, odor debilis et textus cellulosi absentia.

Servetur in vasis probe clausis.

#### CATECHU.

*Terra Japonica.*

*Acaciæ catechu* Willd.; *Mimosæ catechu* Roxb. (Monadelphia Polyandria L.; fam. Leguminosæ), aliarumque specierum Acaciæ, arborum Indiæ orientalis, extractum e fructibus et lignis paratum.

In frustis adfertur solidis, compactis, tum cubicis, tum irregularibus et variæ formæ, ponderosis, fragilibus, fracturæ nitidæ lamellosæ, extus e rubro nigris, intus fuscis vel rufis, striis pallidioribus intermixtis, linguæ minime adhærentibus, inodoris, saporis adstringentis, primo subdulcis, dein amaricantis.

Catechu in spiritu vini diluto et in aqua penitus vel pro maxima parte solvitur. Solutio ejus aquosa cum chlorureto ferrico præcipitatum viride, non autem cæruleo-nigrum, edat.

#### CENTAURIUM MINUS, Herba florens.

*Erythræa centaurium* Rich.; *Chironia centaurium* Willd. (Pentandria



Monogynia L.; fam. Gentianeæ). Planta annua indigena, in locis siccis, ad sepes, etc., crescens.

Folia in caule angulato, superne ramoso, opposita; inferiora ovalia, obtusa; superiora oblongo-acuminata, integerrima, glabra, læte viridia; flores amœne rubelli, terminales, in cymos fasciculatos dispositi. Planta tota inodora, amarissima.

#### CERA.

Ab *Apis Mellificis* L. ad favos construendos elaboratur.

Cera flava seu citrina e favis eliquatur. Sit sature flava, solida, tenax, fracturæ granulosa, odoris proprii submellei; masticata dentibus non adhæreat.

Cera alba e cera flava per insolationem sub frequente aquæ adpersione parata, in tenuissimis laminis diaphana, odoris et saporis haud ingrati, cerâ flavâ durior atque gravior, calore 65°—65° C. liquescens, et liquata liquorem limpidum exhibens.

Sebum ceræ albæ additum, odore, majori mollitie et caloris liquefacientis gradu minuto, detegitur. Si cum acido Stearico adulterata sit cera, in aqua calcis limpida et fervida præcipitatum edit Stearatis calcici.

#### CEREFOLIUM, Herba.

*Scandix cerefolium* L.; *Chærophyllum sativum* Bauh. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferae). Planta annua in Europa meridionali sponte nascens, apud nos in hortis culta.

Herba caule ramoso, glabro, striato, foliis teneribus, læte viridibus, radicalibus et inferioribus caulinis longe petiolatis, tripinnatis, subtus ad nervos pilosiusculis, foliolis ovatis, incisis, dentatis, laciniis angustis. Odor plantæ recentis gratus, fœniculaceus, sed debilis, nisi inter digitos fricetur; sapor subdulcis, aromaticus.

#### CETACEUM.

*Album Ceti. Sperma Ceti.*

E *Physeterum* et præsertim *Ph. Macrocephali* L. (Cl. Mammalia; fam. Ceti) occipitis cavis, obtinetur.

Substantia est sebacea, duriuscula, alba, subpellucida, nitoris pinguis sericei, texturæ crystallino-lamellosæ, tactu mitis nec unguinosa, friabilis, saporis blandi, viscosi, ponderis specifici 0,943, calore circiter 44° C. liquescens.

CHAMÆDRIS, Herba florens.

*Teucrium chamædris*, L. (Didynamia Gymnospermia, L.; fam. Labiatæ). Planta perennis, indigena, in collibus siccis colligenda.

Folia in caule quadrangulo, decumbente, pubescente, ramoso, parva, ovato-oblonga, obtusa, crenata, breviter petiolata, superne obscure viridia, nitentia, inferne pallidiora, subpubescentia, odoris subfragrantis, saporis amari, adstringentis. Flores sunt axillares, purpurascens.

CHAMOMILLA ROMANA, Flores.

*Anthemis nobilis* L. (Syngenesia Polygamia superflua L.; fam. Compositæ). Planta annua Europæ meridionalis, in Belgio culta.

Flores pedunculati, compositi, radiati, receptaculo conico, paleaceo, flosculis disci flavis, tubulosis, radii albis, numerosis, brevibus, odoris aromatici fortis, saporis aromatici et amaricantis.

CHAMOMILLA VULGARIS, Flores.

*Matricaria chamomilla* L. (Syngenesia Polygamia superflua L.; fam. Compositæ). Planta annua in Belgio frequens.

Flores terminales in pedunculis striatis, nudis, unifloris, subpaniculati, radiati, calyce communi arete imbricato, receptaculo conico nudo; flosculis disci flavis, radii albis, reflexis, odoris proprii gravis, saporis amari, aromatici. Colligantur nuper evoluti.

Ne confundantur cum floribus Anthemidis arvensis et Anthemidis cötulæ, quorum receptaculum paleaceum est.

CHELIDONIUM MAJUS, Radix, Herba.

*Chelidonium majus* L. (Polyandria Monogynia L.; fam. Papaveraceæ). Planta perennis, indigena, in locis ruderatis et ad sepes frequens.

Radix cylindrica, 2 centim. et ultra crassa, ramosa, recens ex rufo-fusca, intus luteo-albida, saporis peracris, amari. Siccata est nigra, saporis debilioris.

Herba subflorida, foliis alternis, petiolatis, pinnatifidis, lobis obtusis, crenato-incisis, supra glabris, subtus pubescentibus, e flavo viridibus; floribus flavis, petiolatis, subumbellatis. Tota planta recens odoris gravis; succo croceo lactescente ex amaro acri turget.

CHENOPODIUM, Herba.

*Chenopodium ambrosioides* L. (Pentandria Digynia L.; fam. Chenopodiæ). Planta annua Mexicana in hortis nostris culta.



Folia in caule erecto alterna, subsessilia, lanceolata, dentata, glabra; flores in racemis axillaribus terminalibusque parvi, globosi, virides. Tota planta odoris est fragrantis, proprii, saporis camphorato-aromatici, amariusculi.

#### CHINA FUSCA.

*Cortex Peruvianus fuscus s. griseus.*

*Cinchona glandulifera* R. et Pav.; *Cinchona Condaminea* Humb. et Bonpl. (Pentandria Monogynia L.; fam. Rubiaceæ). Arbor Americae meridionalis, praesertim regionis Loxae in provincia Quito.

Cortex Chinae fuscae genuinae et bonae notae, in frustis adfertur tubulosis, plus minusve convolutis, minimum digitum circiter crassis, 6 ad 9 centim. longis, duris, siccis, ponderosis, strato exteriori scabro cum sulcis longitudinalibus haud profundis et rimis transversis plurimis, epidermide fusco-grisea, lichenibus albis vel cinereis hinc inde maculata.

Seligantur cortices Chinae Huanuco aut Chinae Loxa, praecipue frusta tenuiora, convoluta, extus fusca, longitudinaliter rugosa, interne coloris cinnamomei obscurioris, ponderosa, dura, diffracta nec laxa fibrosa nec pulverulenta, et annulo nigricante resinoso versus epidermidem notata. Chinae fuscae odor est aromaticus, submucidus, proprius, sapor ex amaro austerus.

Rejiciantur cortices rimis transversis non notati, extus nigri vel rutilantes, interne albidi vel cinerei, valde adstringentes, nauseosi aut insipidi.

Viliores species sunt cortex Chinae Jaen, epidermide laevi, pallide cinereo, et cortex de Cusco, Aricinam continentis.

#### CHINA REGIA.

*Cortex Peruvianus flavus s. regius. China Calisaya.*

*Cinchona angustifolia?* Ruiz; *Cinchona lancifolia?* Mutis. (Pentandria Monogynia L.; fam. Rubiaceæ). Arbor in montibus sylvis Americae meridionalis crescens.

Cortex hic prostat in frustis planiusculis aut convexis, 4 ad 9 millim. crassis, epidermide sua luteo-fusca, valde rugosa et lichenibus obsita ut plurimum destitutis, extus e flavo fuscis, rimis transversalibus frequentibus notatis, intus coloris cinnamomei rutili, saporis intensius amari sed minus austeri. Diffracta stratum externum tenue, coloris castanei, et internum crassius, coloris cinnamomeo-rubelli, exhibent.

Infusum aquosum fortius Chinae regiae filtratum, addito sulphate sodae, turbidum fit praecipitato sulphate calcis, quod non evenit cum infuso Chinae griseae.

Ne commutetur China regia cum cortice Portlandiæ hexandræ? Linn. fil., quem Chinam flavam fibrosam dicunt seu de Carthagera; hic dignoscitur defectu rimarum, corticis strato externo tenuiore, sæpe deficiente, strato interno toto, nec intima tantum parte, flavescente, sapore vix amara.

China regia integra fraudulenter per macerationem in aqua acidula Chinino suo partim privata et cortice bonæ notæ pulverato intermixta, facile distinguenda, si fricando cum panno a pulvere privetur, colore obscure bruneo, sapore minus amaro, subsalso, decocto debiliore, quod refrigerescens parum lactescit et filtratum minus aut vix præcipitatur solutione alcalina et tinctura gallarum.

#### CHINA RUBRA.

*Cortex peruvianus ruber.*

*Cinchona oblongifolia* Mutis. *Cinchona magnifolia* et *Cinchona colorata* R. et Pav. (Pentandria Monogynia L.; fam. Rubiaceæ). Arbor Americæ meridionalis.

Cortex antecedenti simillimus, nec nisi colore rubro strati interioris diversus. Ejus frusta sunt crassiora, majora, ponderosiora, minus convoluta; diffracta fibrosa adparent, et manifeste tria strata sistunt, quorum externum (epidermis) tenue, fissum, rugosum, ex rubro fuscum, vel e lichenibus, quibus obducitur, griseum; alterum (sive cortex proprius) fragile et resinose, coloris obscure rubri; tertium lignosum, fibrosum, coloris rubicundi. Pulveratus sit saturate rubro-bruneus, odoris mucidi subaromatici. Ejus decoctum saturate rubrum et limpidum refrigerando fit cum rubore aurantio turbidum.

Cavendum est ab admixtis frustis artifice rubore tinctis. Hæc colore lætore, ruboris defectu in fractura, ac indole infusi aquosi variante, dignoscuntur.

China rubra tam externe quam interne rubido-fusca, in segmentis crassioribus occurrens, ponderosa, sapore valde amaro, adstringente, haud ingrato, optima est.

#### CHINOÏDINUM s. QUINOÏDINA.

In officinis chemicis ex residuis præparationis sulphatis chinici obtinetur.

Constat ex substantia resinosa quæ sulphatem Chinii et Cinchonii retinet et cui inest, acido sulphurico conjunctum, alcaloideum Chinio simile, quod Chinoïdinum dicitur.

Massam refert siccam, nitentem, coloris fuscæ, saporis peramari, in aqua paulum, in alcohole, in æthere, et in acidis plane solubilem.

Ne sit cupro, plumbo, colophonio, etc., inquinatum. In acidis dilutis



solutum cum ammonia excedente præcipitatum edat, quod siccatum massam solutam pondere adæquet.

### CHLORHYDRAS AMMONIÆ.

#### CHLORURETUM AMMONICUM.

*Hydrochloras ammoniæ. Murias ammoniæ. Sal ammoniacus.*

In placentis prostat concavo-convexis, albis, subdiaphanis, texturæ fibroso-radiatæ, saporis ingrati salini, urinosi, caloris ope omnino avolantibus, et in aëre non deliquescentibus.

Non nisi depuratus in usum pharmaceuticum adhibeatur.

### CHLORURETUM SODII.

#### CHLORURETUM NATRICUM.

*Murias Sodæ. Sal commune s. culinare.*

Characteres hujus salis notissimi.

Aëri expositum non humectatur nisi vestigia chlorureti calcii vel magnesiæ contineat. Quandoque ab iodureto potassæ inficitur; quod dignoscendum si in aqua cum amylo cocta solvatur, solutioque ista, affusa parva aquæ chlori quantitate, colorem cæruleum induit.

### CICHOREUM, Radix, Folia.

*Cichorium intybus* L. (Syngenesia Polygamia æqualis L.; fam. Compositæ). Planta perennis, indigena, ad vias et in pratis siccis crescens.

Radix ramosa, circiter 5 centim. crassa et 50 centim. longa, subramosa, fibrosa, extus subfusca, intus albida, carnosa, in recenti lactescens, odoris nullius, saporis valde amari, secundo anno colligenda, eo imprimis tempore quo succo lacteo abundat.

Folia inferiora runcinata, ad carinam hispido-scabra, superiora oblonga, subintegra, sapore peramaro.

### CICUTA, Herba.

*Conium maculatum* L. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferæ). Planta indigena, biennis, in ruderatis, ad sepes et ad vias crescens.

Herba omnino glabra, foliis patentibus, tripinnatis, foliolis ovato-oblongis, acutis, pinnatifidis, lobis inciso-serratis, superne saturate viridibus, subtus pallidioribus, utrinque glabris, odoris peculiaris, grave fœtidi, siccatione aucti, saporis acriusculi, nauseosi.

Siccata folia sint viridia minime pallida, nigrescentia vel mucida, stipitibus petiolisque crassioribus libera. Potassâ solutâ madefacta, odorem Conini spargunt.

Ne confundantur cum foliis Chærophylli sylvestris, Chær. temuli, aut Chær. bulbosi, quæ plus minusve pilosa vel hirsuta sunt, nec odore gaudent gravi Conii maculati.

Folia ante anthesin e plantis bimulis colligenda, et cautissime, nec ultra annum, servanda.

CINA s. SANTONICUM, Semen.

*Semen Contra. Semen sanctum. Summitates Zedoariæ.*

*Artemisia contra* L. (Syngenesia Polygamia superflua L.; fam. Compositæ). Frutex orientalis, in Persia, Syria et Palestina frequens.

Corpuscula (summitates vel flosculi) parva, oblonga, e flavo viridia, glabra, cauliculorum tenuium florumque et foliorum particulis intermixta, odoris penetrantis, quodammodo nauseosi, Zedoariæ radice non dissimilis, saporis nauseosi, amari, subacris. Serva in vasis probe clausis.

Ramulorum fragmenta removenda sunt, nec admittendum semen Cinæ Barbaricum seu Africanum, flosculus minimis subglobosis, tomentosus, dignoscendum.

CINNAMOMUM, Cortex.

*Cinnamomum acutum. Cinnamomum Ceylonense.*

*Laurus Cinnamomum* L.; *Cinnamomum Ceylanicum* Blume. (Enneandria Monogynia L.; fam. Laurineæ). Arbor Indiæ orientalis præsertim insulæ Ceylonis.

Cortex vel liber ramis triennibus detractus, ab exteriori cuticula grisea liberatus, tenuissimus, charta scriptoria vix crassior, nonnihil flexilis, e fibris densis contextus fractura conspicuis, colore aureo pallide fucescente, odore fragrantissimo, sapore primum subdulci, dein valde aromatico, calido. In tubulos adfertur convolutus, quorum minores majoribus semper inserti sunt, ita ut frusta quasi papyracea pluries convoluta refert.

Cinnamomum Ceylanicum semper dispensandum nisi a medico expressis verbis postuletur cortex Cinnamomi Sinensis seu Lauri Cassiæ, qui Cinnamomi Chinensis nomine venali prostat, e Lauri Cinnamomi cortice facile distinguendus superficie minus glabra, crassitie majori, fractura fibras vix largiente, et sapore acriore.

CINNAMOMUM SINENSE, Cortex.

*Cassia cinnamomea. Cinnamomum indicum.*

*Cinnamomum aromaticum* Nees; *Laurus Cassia* Ait. (Enneandria Monogynia L.; fam. Laurineæ). Arbor Indiæ orientalis.

Cortex internus ramorum, præcedenti proxime accedens, sed colore



magis fusco, crassitie majori, odore minus grato debiliorique, ac sapore acriore distinguendus. In frustis prostat tubulosis, duris, coloris rubro-badii, simpliciter vel dupliciter tantum convolutis, et 20—30 centim. circiter longis.

CITRUS, Fructus, Oleum.

*Citrus medica* L. (Polyadelphia Icosandria L.; fam. Aurantiaceæ). Arbor Indiae orientalis indigena, in Europa australi culta.

Fructus notissimi.

Corticis fructus exsiccati in segmentis adferuntur oblongis, ovato-acuminatis, extus flavis, saporis subamari calidi, quartam fructus partem plerumque sistentibus.

Oleum e corticibus recentibus fructus maturi expressum, tenue, flavescens, odoris fragrantis. Pond. specif. 0,84—0,86.

CITRUS AURANTIUM, Folia, Flores, Fructus et Oleum.

*Citrus aurantium* L. (Polyadelphia Icosandria L.; fam. Aurantiaceæ), arbor in Asia spontanea, in Europa australi et America culta.

Folia alterna, ovato-oblonga, subacuminata, integra cum petiolo alato, coriacea, utrinque lævia, sempervirentia, glandulis oleiferis pellucide punctata, odoris grate aromatici, saporis parvi subamari.

Flores, qui Naphæ dicuntur, candidi, calyce plano quinque dentato, corolla pentaphylla, petalis obtusis, subearnosis, calyce pluries longioribus. Recentes sunt odoris fragrantis, grate aromatici, saporis similis subamari; siccati flavescens, minus odori. Ne confundantur cum floribus Citri medicæ, qui paulo majores, extus e violaceo-rubelli.

Fructus immaturi siccati, subglobosi, umbilicati, magnitudine pisi majoris usque cerasi, coloris externe brunei vel griseo-viridis, odoris aromatici, saporis amari sub finem dulciusculi. Colliguntur virides post anthesin ab arboribus delapsi.

Cortex fructuum maturorum exsiccatum in segmentis prostat duris, ovato-oblongis, acutis, aurantiaco-bruneis, asperis, odoris aromatici proprii, parenchymate interno albo, spongioso. Cortices aurantium Curassavienses sunt antepoenendi.

Oleum æthereum, oleum Naphæ dictum, e floribus recentibus destillatione elicitum, limpidum, tenue, subdecolor, ætate vero mox flavescens, odoris et saporis fortis aurantiaci. Pond. spec. 0,87—0,90.

COCCIONELLA.

Femella siccata *Cocci Cacti* L., ex America meridionali imprimis e Mexico allata.

Insecta parva, hemiptera, striis transversis notata, extus e rubro nigricantia, pulvere quasi albedo inspersa, in pulverem trita læte coccinea, odoris mucidi animalis proprii, saporis acris, amaricantis et austeri.

#### COERULEUM BEROLINENSE.

Sit intense cœruleum, leve, fracturæ coloris cupracei non splendentis, odoris et saporis nullius, nec aqua, nec alcohole solubile. Affusa aqua bulliente ne fit mucilaginosum; eo præstantius est quo minorem aluminae partem contineat.

#### COCHLEARIA, Herba florens.

*Cochlearia officinalis* L. (Tetradynamia Siliculosa L.; fam. Cruciferae). Planta annua Europæ præsertim in regionibus borealibus frequens, apud nos in hortis culta.

Folia in caule erecto, subangulato, ramoso, alterna, glabra, læte viridia, succosa; radicalia cordato-subrotunda, longe petiolata; caulina sessilia, ovato-oblonga, subsinuata. Flores albi, pedunculati, in corymbum terminalem dispositi. Herba recens saporis acris, subamari, odoris proprii subacris, exsiccatione evanescentis.

Adhibeantur folia cum petiolis, semper recentia.

#### COLCHICUM, Bulbus, Semen.

*Colchicum autumnale* L. (Hexandria Trigynia L.; fam. Colchicaceae), planta perennis, indigena, in pratis humidis frequens.

Radix bulbosa, carnosa, 2 centim. circiter crassa, ab altera parte convexa, ab altera plana, intus alba, odoris acriusculi, nauseosi, saporis, dum recens est, acris. Non ultra annum asservetur.

Effodiendus bulbus sub veris finem vel æstatis initio, foliis emarcidis, vel etiam autumnno cum florere incipit.

Semina, matura colligenda, subglobosa, seminis Milii magnitudine, rugosa, ex fusco nigrescentia, inodora, saporis peramari simulque insigniter acris. Immatura, coloris pallidi, rejiciantur.

#### COLOCYNTHIS, Fructus.

*Cucumis Colocynthis* L. (Monœcia Syngenesia L.; fam. Cucurbitaceae). Planta annua in Africa spontanea, in insulis Archipelagi græci et Hispania culta.

Fructus globosus (Pepo), Mali magnitudine, sub cortice ex flavo albedo, lævi, pulpam offerens spongiosam, levissimam, albicantem, saporis intense



amari, acris et nauseosi, sexlocularem, e seminibus pro usu separandam. Afferuntur Colocyinthides siccatae et cortice liberatae.

COLUMBO, Radix.

*Cocculus palmatus* Dec.; *Menispermum palmatum* Lam. (Diœcia Dodecandria L.; fam. Menispermeæ). Frutex scandens, sarmentosa Africae orientalis.

Radix in taleolis adfertur inæqualibus, orbicularibus, plerumque perforatis, extus subfuscis, rugosis, intus ex pallide viridi-luteis, intra annulum lignosum, linea nigra finitum, medullam spongiosam, farinosam, ex flavo viridem foventibus. Hujus radiceis odor debilis, balsamicus, sapor valde amarus, mucilaginosus.

Ex America et insula Java veniunt falsæ radices Columbo, intus non flavo-virides et amylo carentes; hinc cum iodi tinctura cœruleo colore, radiceis genuinæ instar, non tinguntur.

CONSOLIDA MAJOR, Radix.

*Symphytum officinale* L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Borragineæ). Planta perennis, indigena, in pratis subhumidis et ad fossas crescens.

Radix subramosa, digitum circiter crassa, recens succulento-carnosa, siccata spongiosa, fragilis, extus nigra, intus alba, odoris fere nullius, saporis mucilaginei, postea subadstringentis.

CONTRAJERVA, Radix.

*Dorstenia contrajerva* L.; *Dorstenia Brasiliensis* Lam. (Monœcia Tetrandria L.; fam. Urticeæ). Planta perennis Americae meridionalis.

Radix e trunculo nodoso, tuberculato, 1 ad 5 centim. crasso, constans, e fibris copiosis liberanda, extus griseo-fusca, intus ex albo flavescens, odoris debilis, aromatici, saporis subacris et amaricantis.

CONVALLARIA, Flores.

*Lilium Convallium*.

*Convallaria majalis* L. (Hexandria Monogynia L.; fam. Asparagineæ). Planta perennis sylvatica in Belgio frequens.

Hujus plantæ flores notissimi, nunc in usum medicum parum usitati. Serventur in vitris clausis.

CORIANDRUM, Semen.

*Coriandrum sativum* L. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferæ). Planta annua Europæ meridionalis et Orientis, in hortis apud nos culta.

Fruetus parvuli, globosi, Piperis albi fere magnitudine, e cinereo flavi vel ex flavo fusci, leviter striati, e seminibus (Achæniis) geminis arcte cohærentibus, constantes, odoris grate aromatici, saporis subdulcis, aromatici et subacris.

#### CORNU CERVI.

*Cervus Elaphus* L., animal ex ordine Ruminantium, in sylvis Germaniæ frequens.

Cornua pro ætate plus minusve ramosa, ab aliorum ruminantium cornibus habitu externo et textura spongiosa interna, facile distinguenda.

#### CRETA ALBA.

Characteres externi notissimi. Eligatur albissima, levis; rejicienda arenosa aut aliis partibus heterogeneis nimis inquinata.

Depuretur encheiresi in secunda parte Codicis dicta.

#### CROCUS, Florum stigmata.

*Crocus sativus* L. (Triandria Monogynia L.; fam. Irideæ). Planta perennis Orientis et Europæ meridionalis, in iisdem regionibus et in Gallia culta.

Croci genuini stigmata cum stylo, fila sunt 2 ad 3 centim. longa, tripartita, versus basin attenuata, apice dilatata, coloris saturate aurantiaci in basi flavescentis, odoris gravis, fragrantis, subnarcotici proprii, saporis balsamici, amaricantis, subacris, principio tinctorio intense flavo, in spiritu vini et in aqua æque solubili, ditissima.

Carthami tinctorii floseuli, Croco intermixti, colore dilutius luteo, basi non pallescente et apice quinquefido discernuntur.

Serva in vitris probe clausis et luci subtractis.

#### CUBEBÆ, Fructus.

*Piper cubeba* L. (Diandria Monogynia L.; fam. Piperaceæ). Frutex Indiæ orientalis.

Baccæ exsiccatae rotundæ, magnitudine pisi minoris, duræ, pedunculatæ, reticulato-rugosæ, coloris cinerei, sub testa fragili nucleum fuscum, intus albidum, oleosum includentes, odoris grate aromatici, saporis acris, aromatici, in recessu refrigerantis.

#### CUMINUM, Semen.

##### *Cymini semen.*

*Cuminum cyminum* L. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferae). Planta annua orientalis, in hortis culta.



Fructus (Diachæna) oblongi, utrinque attenuati, 4 ad 5 millim. longi, ex cinereo flavi, mericarpiis a latere subcontractis, jugis quinque hispidis, pallidioribus, valleculis convexis, odoris fortis, subnauseoso-aromatici, saporis proprii ex acri amaricantis.

#### CUPRUM.

Sit purum; quod dignoscendum si metalli in acido nitrico diluto soluti et a potassa excedente præcipitati solutio filtrata acidoque chlorhydrico neutralisata, nullum sedimentum cum carbonate potassico (Zinci indicium) præbet. Oxidum autem a nitrate cuprico, ope potassæ præcipitatum, in ammonia caustica plane sit solubile.

#### CURCUMA, Radix.

*Curcuma longa* L. (Monandria Monogynia L.; fam. Scitamineæ). Planta perennis Chinæ et Indiæ orientalis.

Radix (Rhizoma) adfertur tum in tuberibus subglobosis vel ovatis, nucem juglandem æquantibus, tum in frustis cylindricis, pollicaribus, nodosis, duris, ponderosis, extus e luteo fuscis, intus flavis, in fracturæ loco passim nitidulis, odoris modice fragrantis, proprii, saporis amaro-aromatici, calidiusculi. Charta infuso aquoso vel spirituosio Curcumæ picta, a quavis substantia alcalina rubore ad nigrum vergente tingitur.

#### CYDONIA, Fructus, Semen.

*Pyrus cydonia* L.; *Cydonia vulgaris* Pers. (Icosandria Pentagynia L.; fam. Pomaceæ). Arbor orientalis in hortis Europæe culta.

Fructus maturi, subglobosi, anguloso-sulcati, pallide lutei, tomento albo tecti, odoris proprii grati, saporis acerbi et subamari.

Semina oblongo-acuta, hinc plana, illinc gibba, 4 ad 5 millim. longa, extus fusca, non nitida, intus albida, eximie mucilaginoso, inodora, saporis fatui, mucilaginosi. Ne confundantur cum seminibus Pyri communis vel Mali, quæ nitentia sunt et indumento mucilaginoso carent.

#### CYNOGLOSSUM, Radix seu Cortex radicis.

*Cynoglossum officinale* L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Borraginæ). Planta biennis in locis siccis, ad vias et sepes crescens.

Radix, e planta bienni colligenda, fusiformis, longa, carnosa, simplex vel ramosa, superne 3 ad 8 centim. crassa, extus fusca, intus alba, recens odoris nauseosi, saporis fatui, mucilaginosi. Servetur in loco sicco.

DIGITALIS, Folia.

*Digitalis purpurea*, L. (Didynamia Angiospermia L.; fam. Scrophularineæ). Planta biennis in Belgio frequens.

Folia ovato-oblonga, acuta, rugosa, leviter et inæqualiter crenata, majora, mollia, superne obscure viridia, subtus pallidiora, pubescentia, saporis amari, acerrimi. E plantis incultis, in locis siccis crescentibus, tempore primo efflorescentiæ, colligantur. Caute servantur in vitris clausis.

DIOSMA CRENATA, Folia.

*Folia Bucco.*

*Diosma crenata* L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Diosmeæ). Planta frutescens Capensis.

Folia coriacea, lanceolata, serrulata, luteo-viridia, margine glanduloso-punctata, glabra, 2 ad 5 centim. longa, odoris penetrantis ingrati, saporis amari, aromatici.

DULCAMARA, Stipites.

*Solanum dulcamara* L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Solaneæ). Planta perennis frutescens, indigena, ad sepes, in fruticetis et locis humidis obvia.

Stipites (Caules) flexiles, subangulosi, pennam anserinam et ultra crassi, ramosi, glabri, lignosi; juniorum cortex externe et interne viridis, adultorum et majorum e flavo pullus vel e fusco viridis, rugosus et hiscens. Sapor primo subamarus, dein dulcis, odor mucidus, virosus, præsertim in recentibus.

Colligendi stipites sunt baccis maturatis et post foliorum lapsum.

ELEMI.

*Gummi s. resina Elemi.*

*Amyridis elemiferæ* L.? *Icicæ Icarabæ* Dec. (Octandria Monogynia L.; fam. Terebinthaceæ), arboris Americæ meridionalis, succus resinosis sponte stillans et sole indurescens.

Prostat in glebis variæ magnitudinis, plerumque foliis palmæ involutis, ex albo flavis, punctis vel maculis virescentibus intermixtis, aliis opacis, aliis subdiaphanis, splendoris resinoso-vitrei, in frigore fragilibus, calore manuum emolliendis, odoris subfœniculacci, saporis paris, amaricantis.

Elemi in alcohole frigido partim tantum sed calore admoto plane solvitur. Distinguendum est a resina Pini maritimæ, magis flava, odoris ingrati terebinthinacci et in alcohole frigido solubili.



ERYSIMUM, Herba.

*Erysimum officinale* L.; *Sisymbrium officinale* Dec. (Tetradynamia Siliquosa L.; fam. Cruciferae). Planta annua, indigena, ad vias et in ruderatis frequens.

Herba, caule erecto, ramoso, cylindrico, pubescente; foliis alternis, pubescentibus, inferioribus runcinatis, summis minoribus, subpetiolatis, hastatis, dentatis, odoris levis, saporis herbacei, subacris.

Flores parvi, flavi, subsessiles, in racemos spicatos digesti.

EUPHORBIVM.

*Euphorbiæ officinarum* L.; *Euphorbiæ Canariensis* L. et forsitan plurium *Euphorbiæ* specierum (Dodecandria Tryginia L.; fam. Euphorbiaceæ), fruticem Africae meridionalis, succus gummo-resinosus e planta sponte stillans et aëre induratus.

In guttis seu frustulis adfertur multiformibus, rotundatis vel angulatis, plerumque perforatis, extus sordide flavis vel rufescentibus, intus albidis, fracturae conchoideæ, odoris nullius, saporis post masticationem acerrimi, urentis. *Euphorbium prunis* inspersum gratum odorem spargit. Caute serva.

FARFARA, Herba, Flores.

*Tussilago farfara* L. (Syngenesia Polygamia superflua L.; fam. Compositæ). Planta perennis, indigena, ad fossas et in agris argillaceis humidisque crescens.

Herba foliis radicalibus, latis, longe petiolatis, subrotundo-ovatis, sinuato-angulatis, denticulatis, subcarnosis, superne glabris et læte viridibus, subtus albido-tomentosis, odoris fere nullius, saporis mucilaginosi, amari, subadstringentis.

Flores flavi, solitarii, compositi, radiati, in seapo monocephalo tomentoso subaphyllo, ante folia nascentes, odoris debilis, saporis amariusculi. Colligantur nuper evoluti.

FEL BOVINUM s. TAURINUM.

*Bovis Tauri domestici* L., bilis cystica.

Succus viscosus, ex fusco flavus vel viridis, odoris peculiaris ingrati, saporis peramari et nauseosi. Sit recens.

FERRUM.

Metallum notissimum, tenax, ductile, magneti obediens.

In acido chlorhydrico diluto perfecte sit solubile, nec cupro inquinatum, quod cum ferro polito in solutione facile detegitur.

FOENICULUM, Semen.

*Feniculum dulce* Dec. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferæ). Planta biennis Orientis et Europæ australis, apud nos culta.

Semina oblonga, ovoidea, pallide viridia, 7 millim. circiter longa, bipartibilia, achæniis convexo-planis, quinque-costatis, odoris fortis, aromatici, grati, saporis paris, subdulcis.

Rejiciantur semina Fœniculi vulgaris Dec. et Fœniculi piperiti Dec., quæ nigrescentia, parviuscula et saporis acris.

FOENUGRÆCUM, Semen.


*Trigonella fœnum græcum* L. (Diadelphia Decandria L.; fam. Papilionaceæ). Planta Europæ meridionalis annua.

Semina parva, oblongo-rotunda, obtusa, subquadrigona, compressa, utrinque sulco oblique notata, ex flavo vel e rubro fusca, glabra, odoris proprii submelilotini, saporis mucilaginosi, amaricantis.

FERRO-CYANURETUM POTASSII.

CYANURETUM FERROSO-KALICUM.

*Proto-cyanuretum ferri et potassii. Kalium ferrato-cyanatum. Kali borussicum. Prussias potassæ luteus.*



Sal in officinis chemicis majoribus paratum. Crystalli rhomboideæ, flavæ, odore carentes, saporis subdulciusculi et amaricantis, aqua sed non alcohole solubiles; igne candente decomponuntur.

Solutio hujus salis aquosa metalla plurima præcipitat. Perchloruretum ferri colore cæruleo et sulphas cupri colore rubro-fusco præceps agitur.

FILIX MAS, Radix.

*Aspidium Filix mas* Sw. (Cryptogamia L.; fam. Filicææ). Planta perennis indigena.

Radix, vel potius caudex, horizontalis, squamis paleaceis ferrugineis et stipitum reliquiis incrassatis, nec non foliorum futurorum gemmis intus viridibus tecta, extus atro-fusca, siccitate sordide rubella, fractura virescens, sapore et odore peculiari ingrato.

Ne confundatur cum caudice Athirii Filicis fœminæ obliquo nec horizontali, siccitate atro, stipitum reliquiis non incrassatis; nec cum caudice



Pteridis aquilinæ multo tenuiori, intus albo, epaleaceo, neque cum caudice Aspidii spinulosi, intus concolore.

Radices effodiendæ in sylvis montosis, lapidosis, sub finem æstatis vel autumno, remotis fibrillis paleisque, nec ultra annum serventur.

#### FRAGARIA, Radix.

*Fragaria vesca* L. (Icosandria Polygynia L.; fam. Rosaceæ). Planta perennis, indigena.

Radix (Rhizoma) cylindrico-fusififormis, 6 ad 9 centim. longa, superne squamis læte ferrugineis tecta, subtus fibris longis, filiformibus, fuscis, obsita, intus e flavo-rubella, inodora, saporis adstringentis.

#### FULIGO.

Substantia carbonacea, nigra, friabilis, odoris ingrati, saporis salsi, empyreumatici, ex lignorum combustorum fumo inferioribus caminorum parietibus accrescens.

#### FUMARIA, Herba florens.

*Fumaria officinalis* L. (Diadelphia Hexandria L.; fam. Fumariaceæ). Planta annua in agris et in hortis frequens.

Herba succulenta, foliis alternatim bipinnatis, foliolis trilobatis, angustatis, cuneiformibus, mollibus, inodoris, saporis amari, salsi, subacris.

Florès sunt parvi, pedunculati, subracemosi, bracteati, corolla irregulari calcarata, rubella.

#### GALANGA, Radix.

*Maranta galanga* L.; *Alpinia galanga* Willd. et Sw. (Monandria Monogynia L.; fam. Scitamineæ). Planta perennis Indiæ orientalis et Chinæ.

Radix (Rhizoma) in frustis advecta 7 ad 8 centim. longis, digitum circiter crassis, rugosis, annulato-geniculatis, extus e fusco rufis, intus rubellis, odoris aromatici, saporis fervidi, acris, subamari.

#### GALBANUM.

*Galbani officinalis* L. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferæ), fructibus Arabiæ, Persiæ, etc., succus sponte vel e sauciato cortice stillans et aëre induratus.

Gummi-resina in placentis e granis ut plurimum inter se conglutinatis constans, rarius in granis separatis, albo-flavescens, subsplendida, glutinosa, ceræ consistentiæ sed calore manus lentescens, in frigore fragilis, odoris gravis, ingrati, saporis calidi, amaricantis, acris.

Galbanum in massis eo melius est, quo plura continet grana ex albo lutea et semipellucida.

#### GALLÆ.

*Quercus infectoria* Oliv. (Monœcia Polyandria L.; fam. Cupulifereæ). Frutex Asiæ minoris.

Excrecentiæ morbosæ, punctura Cynipis gallæ tinctoriæ Oliv., in foliorum petiolo vel in ramis junioribus productæ, globosæ, verrucosæ, rugosæ, subpedunculatæ, exsiccatione e flavescente cinereæ vel e nigro viridescentes, inodoræ, saporis peradstringentis.

Præstantissimæ sunt Aleppenses aut Turcicæ nigre, ponderosæ, intus densæ, neque perforatæ.

#### GENTIANA, Radix.

*Gentiana lutea* L. (Pentandria Digynia L. fam. Gentianeæ). Planta montana perennis in Gallia, Helvetia, Germania, etc., crescens.

Radix cylindrica, longa, subramosa, superne digitum et ultra crassa, carnosa, siccata in segmentis allata variæ magnitudinis, contortis, annulato-rugosis, ponderosis, partem corticalem fuscam et partem internam porosam, flavam vel aurantiacam præbentibus, odoris proprii, subaromatici, saporis primum dulciusculi, dein amarissimi.

#### GEOFFROYA SURINAMENSIS, Cortex.

*Geoffroya inermis* Sw.; *Geoffroya Surinamensis* Murr. (Diadelphia Decandria L.; fam. Cæsalpineæ). Arbor Americæ meridionalis in nemoribus Surinamensibus frequens.

Cortex in frustis longis, planis, crassitudinis variæ pro arboris ætate vel parte a qua separatur, ponderosus, extus lichenibus griseis aut flavescens ablati ex fusco cinereus, intus fibrosus, atro-purpureus, striis vel punctis lucide fuscis distinctus, odoris nullius, saporis amari, subadstringentis.

#### GNAPHALIUM, Flores.

##### *Pes Cati.*

*Gnaphalium dioicum* L. (Syngenesia Polygamia superflua L.; fam. Corymbifereæ). Planta indigena.

Herba tri-quadripollicaris, lanuginosa, non ramosa, florum capitulis corymbosis, involucri squamis coloratis lævibus. Flores albi aut subpurpurei.



GRAMEN, Radix.

*Triticum repens* L. (Triandria Digynia L.; fam. Gramineæ). Planta perennis, indigena.

Radix, vel potius rhizoma, repens, prælonga, subramosa, teres, calamus stramineum circiter crassa, fistulosa, articulata, glabra, ad articulos distantes fibrillosa et squamosa, tenax, ex albo flavescens, succulento-carnosa, odoris vix ullius, saporis subdulcis.

Rejiciantur fibrillæ articulorum et radices insipidæ.

GRANATUM, Cortex radices et fructuum.

*Punica granatum* L. (Icosandria Monogynia L.; fam. Myrtaceæ). Arbor Asiæ et Europæ meridionalis, apud nos in hibernaculis culta.

Cortex radices, e planta spontanea colligendus, in frustis occurrit majoribus minoribusve, canaliculatis, flexuosis, fragilibus, 1 ad 2 millim. crassis, extus inæqualibus, griseo-luteis, intus e viridi pallide flavis, odoris debilis, nauseosi, ingræte amariusculi. Superfici internæ ut plurimum fragmenta ligni pallide lutescentis adhærent.

Cortex fructus coriaceus, externe e fusco rubicundus, interne flavus, exsiccatione utrinque magis fuscus, inodorus, saporis amari et peradstringentis.

GRAPHITES.

*Carburetum ferri nativum. Plumbago.*

Minerale in Angliæ, Hispaniæ, etc., fodinis obvium.

Sit e cinereo nigrum, nitoris submetallici, tactu pingue, valde depingens, texturæ lamelloso-squamosæ, fracturæ granulosa, subconchoïdæ, nitentis. Pond. specif. 2,089.

GUAJACUM, Lignum, Resina.

*Guajacum officinale* L. (Decandria Monogynia L.; fam. Zygophyllæ). Arbor Indiæ occidentalis.

Lignum ponderosum, compactum, e viridi fuscum, aqua gravius, resinum, cortice vestitum extus griseo-fusco, intus ex cinereo flavo, odoris, si calefiat, aromatici, saporis subacris et nonnihil amari. Alburnum est levius et pallide lutescens.

Rasura, in officinis plerumque obvia, cum frustulis albis, e lignis heterogeneis ortis, ne nimis sit mixta.

Resina, seu succus arboris resinus inspissatus ex pullo virescens, in frustis inæqualibus advehitur, sæpe fragmentis corticis unita, fragilis, diffracta splendens, in frustis minoribus pellucida, subamara, acris, urens, prunis

inspersa odoris proprii, grati. In pulverem trita et luci exposita virescit. Alcohole soluta ab acido nitroso colore cœruleo tingitur.

#### GUMMI ARABICUM.

*Acaciæ veræ* Willd.; *Acaciæ Ehrenbergii* Hayn., aliarumque *Acaciæ* specierum (*Polygamia Monœcia* L.; fam. *Mimosæ*), in variis *Africae* regionibus crescentium, succus gummosus, sponte exsudans et aëre obduratus.

Gummi arabicum in frustulis adfertur globosis vel oblongis, variæ magnitudinis, albicantibus aut albo-flavescentibus, nitentibus, semipellucidis, fracturæ conchoideæ splendentis, odoris nullius, saporis fatui ac mucilaginosi, aqua maxime solubilibus. Veterinariis reliquenda frusta rubicunda aut griseo-brunea.

Gummi Senegalense, in Guinea, Senegambia, etc., collectum ab *Acacia Vereck Guill.* et *Perot.*, *Acacia Senegalensi* Willd., fere omnino gummi arabico simile, in frustulis prostat durioribus, flavescentibus aut fuscis, vix pellucidis, et in aqua frigida non plane solubilibus.

#### GUMMI TRAGACANTHÆ.

*Astragalus creticus* Lam.; *Astragalus verus* Oliv. (*Diadelphia Decandria* L.; fam. *Papilionaceæ*). Frutices *Græciæ* et *Asiæ minoris*.

Gummi Tragacanthæ bonæ notæ in frustulis elongatis occurrit, tenuibus, filiformibus, multifarie contortis, vel latioribus applanatis et conglutinatis; album cæteroquin, subdiaphanum, tenax, leve, inodorum, in aqua ad mucilaginem spissum ac glutinosum intumescens. Rejiciendum est sordidum, flavum vel fuscum, quod *Tragacantha* in sortis nuncupatur.

#### GUMMI GUTTÆ.

*Garcinia Cambogiæ* Roxb.; *Stalagmitis cambogioides* Murr. (*Polyandria Monogynia* L.; fam. *Guttiferæ*), arborum *Indiæ orientalis*, succus gummosus, vel e ramulis resectis, vel e cortice trunci vulnerato emanans, et aëre aut leni calore induratus.

Prostat in placentis vel in frustis polymorphis, solidis, fragilibus, coloris e fusco lutei, fracturæ conchoideæ nitentis, in margine frustulorum subpellucidis, pulverem flavum trituratione præbentibus, odoris nullius, saporis primum debilis, dein ex acri subdulcis.

Gutti sordide fusco-luteum ab *Hyperico baccifero*, *Hyperico Cayennensi* aut *Euphorbiæ* speciebus collectum, rejiciatur.

#### HEDERA TERRESTRIS, Herba florens.

*Glechoma hederacea* L. (*Didynamia Gymnospermia* L.; fam. *Labiatae*). Planta perennis, indigena.



Folia in caule tenui, simplici, radicante, quadrangulari opposita, petiolata, cordato-reniformia, crenata, glabra, subtus haud raro rubella, odoris subaromatici, fricata dum recentia sunt, intensi, saporis amaricantis.

Flores, in axilla foliorum nascentes, subpedunculati, purpurei vel amœne violacei.

HELENIUM, Radix.

*Inula helenium* L. (Syngenesia Polygamia superflua L.; fam. Compositæ). Planta perennis Europæ australis, in Belgio rara sed sæpe hortensis.

Radix magna, cylindrico-ramosa, fibris filiformibus albis et copiosis obsessa, lætè griseo-fusca, subrugosa, intus cinereo-albida, punctis fusciscentibus quasi resinosis adspersa, densa, dura, fragilis, odoris fortis haud ingrati, aromatici, Violam odoratam redolentis et saporis acriusculi, amari, faucibus diu adhærentis.

HELLEBORUS ALBUS, Radix.

*Veratrum album* L. (Hexandria Trigynia L.; fam. Colchicacæ). Planta perennis montana Europæ australis, Germaniæ, Helvetiæ, etc.

Radix (Rhizoma) siccata cylindrico-conica, obtusa, tuberculoso-rugosa, 2 centim. circiter crassa, 4 ad 5 centim. longa, e radiculis resectis scabra, epidermide tecta e luteo pallide fusciscente, intus albida vel fusciscentis, odoris fere nullius, saporis primum nauseoso-amari, dein acerrimi, urentis.

HELLEBORUS NIGER, Radix.

*Helleborus niger* L. (Polyandria Polygynia L.; fam. Ranunculacæ). Planta perennis in sylvis montosis Belgii et Europæ mediæ crescens.

Radix (Rhizoma) subrotunda, nigro-fusca, annulato-sulcata, 3 ad 4 centim. circiter crassa, ramos edens breves, geniculatos, e quibus prodeunt radicellæ numerosæ, prælongæ, intricatæ, e fusco nigricantes, intus albidæ vel flavescens, saporis primum debilis, dein acris, nauseosi. Fibrillæ minores crassioribus ipsoque radicis tubere virtute præstant medica.

Ne confundatur cum radicibus Actææ spicata, Adonidis vernalis, Hellebori viridis aut fœtidi; genuina foliis radicalibus pedatis, foliolis magnis, nitidis, lævigatis et subintegerrimis dignoscitur. Cautè serva.

HELMINTOCHORTON.

*Corallina Corsica*. Muscus Corallinus.

*Helmintochortos officinalis* L.; *Fucus helmintochortos* Dec.; *Sphero-*

*coccus helmintochortos* Ag. (Cryptogamia L.; fam. Algæ). Crescit ad littora insulæ Corsicæ, Siciliae, Lusitaniæ, etc.

Alga filis constans numerosis, cartilagineis, tenacibus, geniculatis, tenuissimis, dichotomis, coloris fusco-flavi, saporis salsi, ingrati, odoris mucidi, marini.

Helmintochorton officinarum massam implicatam, fusco-rufam, Coralina officinali, algisque heterogeniis commixtam, sistit. Removeantur conchylia et lapides sæpius immixti.

#### HIPPOCASTANUM, Cortex.

*Esculus Hippocastanum* L. (Heptandria Monogynia L.; fam. Hippocastaneæ). Arbor Persiæ borealis in Belgio culta.

Cortex ex ramis mediæ ætatis collectus et ab alburno liberatus.

#### HIRUDO.

*Hirudo medicinalis* L., animal ex ordine Annelidarum in Galliæ, Germaniæ, Poloniæ, etc., paludibus frequens.

Hirudo, corpore subcylindrico, lubrico, annulato, antrorsum attenuato, in dorsum convexo, subtus plano; capite obtuso; ore triquetro dentibus tribus parvis, acutissimis munito; dorso atro-fusco vel obscure olivaceo lineis quatuor longitudinalibus picto, quarum prima dorsalis rufa, altera rufa nigro-maculata, tertia e nigro subrufa, quarta seu marginalis lutea; ventre sordide olivaceo, maculis nigris variegato.

#### HORDEUM, Semen.

*Hordeum vulgare*, *Hord. distichum*, *Hord. hexasticum* L. (Triandria Digynia L.; fam. Gramineæ), plantæ annuæ in Belgio cultæ.

Semen integrum, prout colligitur, Hordeum crudum vocari solet; quod cortice molendo exutum est, Hordeum mundatum, et quod mola in formam sphericam redactum, Hordeum perlatum dicitur.

Hordei semina primæ germinationi subjecta, dein vel aëre libero, vel furni ope subito siccata, Malthum sistunt.

#### HYDRARGYRUM.

##### *Mercurius Vivus.*

Sit lucide splendens, digitis non adhærens, globulis exacte sphericis currens.

Hydrargyrum plerumque plumbo et stanno, hinc inde zinco aut bismutho inquinatum adfertur. Depuretur encheiresi in parte secunda Codicis dicta.



HYOSCYAMUS, Folia, Semen.

*Hyoscyamus niger* L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Solanææ). Planta biennis, indigena, in ruderatis et ad sepes obvia.

Folia in caule erecto, tereti, superne ramoso, villosa, subglutinosa, alterna, sessilia, amplexicaulia, oblongo-ovata, acuta, lata, pinnatifido-incisa, plus minus molliter subviscido-villosa, obscure viridia, odoris virosi, ingrati, saporis fatui, amaricantis, acris.

Semina parva compressa; orbiculari-subreniformia, foveolis reticulata, rugosa, cinerea, ex ochroleuco fusca, fere inodora cum sapore nauseoso, amarescente, oleoso.

HYPERICUM, Herba florens.

*Hypericum perforatum* L. (Polyadelphia Polyandria L.; fam. Hypericicæ). Planta perennis, indigena.

Herba, caule erecto, ramoso, tereti, glabro; foliis oppositis, sessilibus, oblongo-ovatis, integerrimis, glabris, punctis fuscis pellucidis crebris distinctis; floribus in cymas terminales paniculam formantes congestis, saturate luteis, odoris debilis haud ingrati, saporis balsamici, amaricantis, subadstringentis.

HYSSOPUS, Herba florens.

*Hyssopus officinalis* L. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatæ). Fruticulus Europæ meridionalis, nobis hortensis.

Folia in caule erecto tetragono et ramis opposita, subsessilia, ovato-lanceolata, angusta, integerrima, obtusa, saturate viridia, subpilosa, sursum glabra, subtus punctata, margine minutissime ciliata, odoris fragrantis, saporis quodammodo calidi, aromatici, amaricantis.

Summitates subfloridæ, floribus cœruleis aut albis, fasciculato-verticillatis, in spicas racemosas secundas digestis.

ICHTHYOCOLLA.

*Colla piscium.*

*Acipenser Huso*, L.; *Acip. Guelderstædii* Brandt et Ratz.; *Acip. Ruthe-nus* L.; *Acip. stellatus* Pall., pisces mare Nigrum et Caspicum præcipue inhabitantes.

Vesiculæ natatoriæ aut intestinorum tunica interna siccata, vel plana, vel in spiras lyriformes contorta, alba, diaphana, tenax, odoris et saporis expers, in aqua fervida et spiritu vini aqua diluto penitus fere solubilis; solutio aquosa refrigerata gelatinam spissam exhibet.

INDIGO.

*Cæruleum indicum. Pigmentum indicum.*

Variæ *Indigoferæ* species (*Diadelphia Decandria* L.; fam. Leguminosæ), et aliæ plantæ, præcipue *Isatis tinctoria* et *Polygonum tinctorium*, indigo continent.

Est massa obscure cærulea, inodora et insipida, quæ ungue impressa cupri colorem nitore refert. In aqua, spiritu vini, æthere, oleis, nec non in substantiis alcalinis, aqua dilutis, vix solvitur, immutataque remanet. Ignis ope sublimatur partim in crystallis acufornibus cupro-purpureis.

Indigo sit aqua levius; in fracto ne detegantur substantiæ heterogeneæ (calcaris), et combustionem ne nimiam copiam substantiarum terrearum, quibus haud raro adulteratum est, relinquat.

IODUM. IODIUM. IODINUM. IODINA.

Squamulæ griseo-nigræ, splendentes, odoris ingrati, saporis acris, metallici, igne sub forma vaporis violacei plane avolantes.

Iodum alcohole sit ex toto solubile.

IPECACUANHA, Radix.

*Cephaelis ipecacuanha* Willd.; *Callicocca ipecacuanha* Brot. (*Pentandria Monogynia* L.; fam. Rubiaceæ). Planta perennis Brasilis.

Radix cylindrica, culmum stramineum usque calamum scriptorium tenuem crassa, dura, varie inflexa, annulis confertis rimisque profundis distincta, extus e fusco grisea, intus e luteolo alba, odoris mucidi, nauseosi, saporis amaricantis, subacris, nauseosi. Meditullium, a quo cortex crassus et friabilis facile separatur, lignosum, subflavescens, insipidum, rejiciendum est.

Pulvis in vitris probe clausis, nec nimis diu, servetur.

IRIS FLORENTINA, Radix.

*Iris florentina* L. (*Triandria Monogynia* L.; fam. Irideæ). Planta perennis Europæ meridionalis et Orientis, nobis hortensis.

Radix (Rhizoma) siccata et decorticata adfertur in frustis oblongis, compressis, inæqualibus, 5 centim. et ultra crassis, plus minus nodosoramosis, ponderosis, duris, ex albo flavis, cum punctis fuscis, odoris violacei, saporis mucilagineo-farinosi, amaricantis, subacris.

Cum radicibus varietatis vilioris nonnunquam adulteratur, quare odoratissima eligenda.

Servetur in loco sicco, aëre libero.



JALAPPA, Radix.

*Convolvulus jalappa* L.; *Ipomœa jalappa* Desf. (Pentandria Monogynia L.; fam. Convolvulaceæ). Planta perennis Mexicana.

Radix venalis in taleolis prostans subglobosis vel pyriformibus, subinde oblongis, sæpe in duas partes secta, ponderosa, compacta, cortice fusco et rugoso texta, intus annulis concentricis, resinosis, fuscis, textu celluloso lamelloso, obscure griseo, distincta; odoris est debilis, ingrati, saporis acris, nauseosi, subaciduli.

Cave ne hanc radicem ope alcoholis resina privatam accipias. Quæ vermibus erosa, ad extractionem resinæ inservit.

JECORIS ASELLI OLEUM.

E jecore *Gadi Morrhue* et aliarum Gadi generis specierum, in Norwegia præcipue obtinetur.

Duæ in commercio occurrunt species :

1° Oleum jecoris Aselli album, ex hepate recente sponte fluens, pingue, pellucidum, aureo-flavum vel flavescens, odoris et saporis piscini, ponderis specif. 0,920 — 0,922. In viginti circiter partibus alcoholis fervidi solvitur.

2° Oleum jecoris Aselli fuscum, ex hepate assato, vel plus minusve putrido elicatum, opacum, coloris badii, ponderis specifici 0,923, consistentia priori simili, sed odore et sapore ingrato empyreumatico-acri, diversum.

Oleum jecoris Aselli in vasis bene obturatis et loco frigido servetur.

Datur quoque oleum piscium nigrum ex hepate putrido caloris ope elicatum, consistentiæ syruposæ, ponderis specifici 0,929; minore virtute ac præcedentia olea gaudet, nec illis substituatur.

JUGLANS, Folia, Drupæ recentes, Oleum nucis.

*Juglans regia* L. (Monœcia Polyandria L.; fam. Juglandæ). Arbor Orientis in Belgio culta.

Folia magna, impari-pinnata, pinnis oblongo-ovalibus, glabris, subseratis, subæqualibus, firmis, odoris peculiaris haud ingrati, saporis nauseoso-acris.

Drupæ immaturæ notissimæ; colligantur dum subula eburnea perforari possunt.

Oleum e nucleis maturis recenter expressum, flavicans, limpidum, spissiusculum, facile rancescens, inodorum, saporis grati, dulciusculi.

JUJUBÆ, Baccæ.

*Zizyphus vulgaris* L.; *Rhamnus Zizyphus* Lam. (Pentandria Monogynia L.; fam. Rhamneæ). Frutex Orientis, Europæ meridionalis et Africæ borealis.

Drupæ siccatae magnitudine pruni minoris, rugosæ, ovales, utrinque obtusæ, rubro-coccineæ, in parenchymate carnosogranulato, albido, grate dulci et mucilaginoso, nucleum ferentes oblongo-ovatum, utrinque acutum, durum, bilocularem, rarius unilocularem.

JUNIPERUS, Baccæ.

*Juniperus communis* L. (Diœcia Polyandria L.; fam. Coniferæ). Frutex Europæ borealis, indigena.

Baccæ secundo tantum anno maturæ, globosæ, Pisi minoris magnitudine, superne tribus, a petalis relictis, punctis notatæ; recentes nigro-violaceæ, nitidæ; siccæ nigre, in parenchymate carnosogranulato, rufescente, saporis dulcis, aromatici, odoris balsamici grati, tria includentes semina planoconvexa.

KINO.

*Gummi Kino s. Gambiense.*

Tres Kino species venales prostant, quarum binæ priores solum officinas intrent.

Prima, Gummi Kino verum s. Africanum dicta, ex arbore manans Africa tropicæ (*Pterocarpus Senegalensis* Hook; Diadelphica Decandria L.; fam. Papilionaceæ), constat ex frustulis parvis, duris, opacis, nitidis, rubro-nigricantibus, margine subdiaphanis, odoris nullius, saporis adstringentis, salivam violaceo colore tingentibus. In aqua frigida fere dimidia pars, in fervida fere totum solvitur, æque ac in alcohole, quocum solutionem coloris sanguinei exhibet. Solutio aquosa cum chlorureto ferrico colore atroviridi tingitur.

Secunda, Gummi Kino occidentale s. Americanum dicta, ex India occidentali, extractum *Coccolobæ uviferæ* (Octandria Digynia L.; fam. Polygoneæ), advehitur in frustis magnis, nigro-fuscis, fragilibus, fractura resinoso-splendentibus, saporis primo aciduli, dein peramari et adstringentis. Solutio aquosa cum chlorureto ferrico colore cœruleo-nigro tingitur.

Tertia, Kino Australe dicta, e Nova Hollandia, *Eucalypto resiniferæ* Sw. (Icosandria Monogynia L.; fam. Myrtaceæ) debetur. Frusta refert diversæ magnitudinis et formæ, heterogeneis mixta, intense atrofusca, splendentia, saporis adstringentis, amari, in pulverem coloris pastæ cacao tinæ facile



terenda. Solutio ejus aquosa cum chlorureto ferrico colore fusco-nigro tingitur.

Prima species cæteris anteponeuda, ne cum Sanguine Draconis, in aqua non solubili, sit inquinata.

#### KREOSOTUM.

$C^{25} H^{16} O^4$ .

Liquor oleosus e pice liquida ligni Fagi destillatione pluries repetita elicitus.

Sit coloris expers vel leviter rufescens, pellucidus, odoris proprii gravissimi, saporis acris empyreumatici. In spiritu vini facillime, at in aquæ centum partibus tantum solvitur. Ebullit temperatura 205°. Pond. specif. 1,057. Servetur in vasis bene obturatis et loco obscuro.

Kreosotum Lacmi aut Curcumæ colorem non mutet. Lixivio potassæ causticæ solutum, ex addita aqua ne turbetur. In tubulo vitreo calori 100° C. expositum, aquam solutam vel alcoholem admixtum demittit.

#### LADANUM s. LABDANUM.

*Cisti Ladaniferi* L.; *Cisti Cyprii* Lam. (Polyandria Monogynia L.; fam. Cistineæ), fruticis Orientis et Europæ australis, succus gummi-resinosus.

Resina est solida, ponderosa, nigra, fracturæ subgriseæ, inter digitos facile mollescens, odoris balsamici, saporis subamari; accensa fumum suaveolentem spargit.

#### LACCA.

*Fici religiosæ et indicæ* L. aliarumque forsitan arborum Indiæ orientalis succus resinosus, ex arboribus istis, femellarum *Cocci ficus* punctura exsudans, siccando ramos incrustans, ejusdemque insecti pigmento rubro imbutus.

Due gummi Laccæ species in commercio nunc tantum habentur, scilicet: Lacca in granis et Lacca in tabulis.

Prior est in frustulis parvis, seu granis discretis, irregularibus, subpellucidis, rubicundis, saporis resinosi, odoris grati si accenduntur, et salivam colore purpureo tingentibus.

Secunda species, seu Lacca in tabulis, in lamellis prostat e flavo rubentibus, fere diaphanis, nitentibus, inodoris et insipidis, fragmentis vitri Antimonii similibus.

#### LACMUS.

*Lacca musci.*

*Lichen roccella* L. (Cryptogamia L.; fam. Lichenes), in rupibus maritimis insularum Azoricarum, Archipelagi, etc., crescens.

Pastæ quadrato-oblongæ, 2 centim. circiter longæ, pulchre cyaneæ, solidæ ast depingentes, fragiles, odoris subalcalini, in officinis propriis ex Lichene Roccella paratæ.

#### LACTUCA, Herba, Succus.

*Lactuca sativa* L. (Syngenesia Polygamia æqualis L.; fam. Compositæ). Planta annua, indigena, sæpius culta.

Folia in caule lævi erecta, oblonga vel rotundata, earina non aculeata.

Hujus plantæ succus lacteus induratus (Lactucarium) in frustulis prostat polymorphis, e fusco flaventibus, opacis, fragilibus, odoris virosi et saporis papaverini amari.

Ne confundatur Lactucarium cum succo ex eadem planta expresso et caloris ope siccato, fusco-rubescente, quem Thridacis nomine dignoscitur. Hic aëris humorem attrahit, nec odore viroso gaudet ut Lactucarium.

#### LACTUCA VIROSA, Herba.

*Lactuca virosa* L. (Syngenesia polygamia æqualis L.; fam. Compositæ). Planta biennis, indigena sed rarior, sæpius hortensis.

Folia in caule glabro, superne ramoso, inferne aculeato, alterna, sessilia, patentia, inferiora sinuato-dentata, undulata, in petiolum attenuata; superiora ovato-lanceolata, sagittata, integra, denticulata; utraque glauca, subtus costa media aculeata. Herba recens succo turget lacteo odoris nauseosi et saporis amari, acris.

Colligenda folia antheseos initio; nec confundenda planta cum *Lactuca scariola* L., quæ foliis verticalibus, runcinato-pinnatifidis ab illa distinguitur.

#### LAPATHUM ACUTUM, Radix.

*Rumex obtusifolius* L.; *Rumex purpureus* Poir. (Hexandria Trigynia L.; fam. Polygonæ). Planta perennis in locis humidis, ad vias et in agris crescens.

Radix longa, fusiformis, simplex vel ramosa, superne digitum ad pollicem crassa, nonnihil fibrosa, ex fusco flava, intus lutea, inodora, saporis amaro-acris, subadstringentis. Masticata salivam flavo colore tingit.

#### LAPIS CALAMINARIS.

*Carbonas Zincicus natus. Calamina.*

Substantia lapidea, compacta, ponderosa, coloris luteo-albicantis, ochracei aut rubelli. Pulverata in acido sulphurico calefacto solvitur, sedimentum gelatiniforme (terra silicea), relinquens.



LAURO-CERASUS, Folia.

*Prunus lauro-cerasus* L. (Icosandria Monogynia L.; fam. Amygdalææ).  
Frutex vel arbor orientalis, nobis hortensis.

Folia recentia ovato-oblonga, acuta, integra, minutim serrata, coriacea, nitide viridia, subtus pallidiora, glandulis seu foveolis in dorso et ad basin ejus binis instructa, fere inodora, sed digitis trita odoris nuclei Mali persici, fragrantis, saporis styptici, amygdalini amari.

Adhibeantur semper recentia, et præsertim tempore æstivo ac calidiore colligantur.

LAURUS, Folia, Baccæ, Oleum.

*Laurus nobilis* L. (Enneandria Monogynia L.; fam. Laurinææ). Arbor Asiæ minoris et Europæ meridionalis, apud nos in hortis et viridariis culta.

Folia notissima semper virentia.

Fructus (Drupæ) siccati, oblongo-ovati, obtusi, nigricantes, Pisi minoris magnitudine, sub testa fragili nucleum fovens fuscum; odoris sunt aromatici, saporis pinguis, amari, balsamici, calidi.

Oleum e baccis recentibus elicatum, unguinosum, e flavo viride, spissum, quasi granulatum, odoris fortis laurini, in æthere plane, in spiritu vini partim tantum solubile.

LAVANDULA, Flores, Oleum.

*Lavandula spica* Dec. et *Lavandula vera* Dec. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatæ), plantæ Europæ meridionalis, in hortis apud nos cultæ.

Flores in spicam terminalem, verticillatam congesti, parvi, violacei, bilabiati, labio superiore bifido, inferiore trifido; odoris sunt aromatici, grati, saporis amari, calidi. Colligantur nuper evoluti.

Oleum æthereum, in Gallia meridionali ex *Lavandula latifolia* seu *Lavandula spica* destillatione paratum, sit limpidum, tenue, pallide flavescens, odoris et saporis fortis, aromatici. Pondus specif. 0,98.

LEVISTICUM, Radix, Semen.

*Ligusticum levisticum* L.; *Levisticum officinale* Koch. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferæ). Planta Europæ meridionalis, nobis hortensis.

Radix (Rhizoma) sicca fusiformis, ramosa, superne 1 ad 2 centim. et ultra crassa, prælonga, transversim annulato-rimosa, extus nigricans, intus albida, in medio subflava, odoris proprii grati, saporis dulciusculi, aromatico-balsamici, subacris. Hodie præcipue a veterinariis præscribitur.

Semina oblonga, uno latere plana, altero convexa, membranacea, jugis quinque interstincta, fusca, glabra, odoris peculiaris, fortis, aromatici, saporis subdulcis, acris, aromatici.

LICHEN ISLANDICUS.

*Cetraria Islandica* Ach.; *Lichen Islandicus* L. (Cryptogamia L.; fam. Lichenes). Planta cellularis in Islandia aliisque terris montosis Europæ borealis crescens.

Lichen siccus membranaceus, subcoriaceus, sinuatus, laciniatus, extus coloris cinerei, intus fuscus et fulvus, odoris debilis submucidi exsiccatione pereuntis, saporis amari, mucilaginosi.

LILIUM ALBUM, Bulbus, Petala recentia.

*Lilium candidum* L. (Hexandria Monogynia L.; fam. Liliaceæ). Planta Europæ meridionalis et Orientis, apud nos hortensis.

Bulbus ovato-globosus, squamis constans imbricatis, carnosus, laxis, albis quidem, sed exsiccatione rufus, fragilibus, inodorus, saporis subamari, viscosi.

Florum petala recentia, nivea, lanceolata, obtusa, odoris fragrantis, saporis subdulcis, glutinosi.

LINUM, Semen, Oleum, Farina.

*Linum usitatissimum* L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Linææ). Planta annua in Belgio culta.

Semina parva, oblongo-ovata, compressa, glabra, nitida, sub membrana tenaci nucleum albidum, oleosum, includentia, odoris vix ullius, saporis ingratis dulcis et oleosi.

Oleum lini e seminibus elicatum, pingue, spissiusculum, pellucidum, fusco-flavum, odoris proprii ingrati, saporis debilis, nauseosi. Pond. specif. 0,95.

Farina, ex placentis post olei expressionem residuis et pulveratis constat. Ne diutius asservetur.

LIQUIRITIA, Radix, Succus.

*Glycyrrhiza glabra* L. (Diadelphia Decandria L.; fam. Leguminosæ). Planta perennis Europæ meridionalis.

Radix repens, prælonga, ramosa, cylindrica, 1 ad 2 centim. et ultra crassa, epidermide vestita glabra, e griseo-fusca, striato-sulcata. Transversim secta partem exhibet corticalem tenuem, et parenchyma læte flavum, radiatum, stratis circularibus duabus distinctum. Recens, odoris est



proprii, dulciusculi, saporis primo dulcissimi, dein amariuscule, subacris et ingrati.

Succus venalis, e radicibus recentibus coctione in aqua paratus, in massis prostat subcylindricis, solidis, nigris, siccis, fracturæ conchoïdæ, saporis dulcis subacris. Ex Hispania et Sicilia Lauri foliis involutus, advehitur.

### LITHARGYRUM.

OXYDUM PLUMBICUM.

PbO.

*Protoxydum plumbi. Plumbum oxydatum fuscum.*

Squamulæ ex albo vel rubello sordide flavescentes, nitidæ, ponderosæ, in acido nitrico vel acetico solubiles.

Cupro ne sit inquinatum, quod in solutione acido nitrico facta, addito liquore ammoniæ, ita ut prævaleat, colore cœruleo dignoscitur.

### LOBELIA INFLATA, Herba florens.

*Lobelia inflata* L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Lobeliaceæ). Planta annua Americæ borealis.

Herba, caule erecto, superne ramoso; foliis ovalibus, margine undulatis et irregulariter dentatis, rugosis, glabriusculis, inodoris, saporis aeris, pungentis. Flores sunt parvi, breviter pedicellati, pallide violacei, axillares et in racemos spicatos, terminales, digesti.

### LUPULUS, Coni s. Strobili, Lupulina.

*Humulus Lupulus* L. (Diœcia Pentandria L.; fam. Urticeæ). Planta perennis in Belgio culta.

Amenta florum foemineorum subrotunda vel oblonga, ovata, squamis composita membranaceis, tenuibus, subpellucidis, mollibus, siccatione ex albido flavis, tactu viscidulis, pulvere flavo resinoso repleta, odoris grati, balsamici, narcotici, saporis amari, non ingrati.

Pars activa in pulvere flavo, Lupulina dicto, principium amarum, resinam oleumque æthereum continente et basi squamarum strobuli insidente, consistit. Lupulina in alcohole maxime solubilis est. E strobulis sacco cannabino inclusis conquassatione elicitur.

### LYCOPodium, Semen seu Pollen.

*Lycopodium clavatum* L. (Cryptogamia L.; fam. Lycopodiaceæ). Planta perennis indigena, sylvatica.

Semen (potius Sporulæ) subtilissimum, leve, tactu unguinosum, digitis adhærens, pallide flavum, odoris et saporis nullius. Igne admoto celerime ardet cum flamma splendente et strepitu; aquam respuit.

Adulteratur quandoque polline Pini sylvestris, sed Lycopodii sporulæ globosæ sunt et aqua leviores; Pini pollen corpusecula sistit oblonga, curvata, facileque cum aqua miscetur, æque ac pollen Typhæ aliarumque plantarum. Amylum admixtum cæruleum colorem cum Iodo exhibet.

#### MAJORANA, Herba florens.

*Origanum Majorana* L. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatae). Planta Europæ meridionalis in hortis nostris culta.

Folia in caule erecto, tetragono, pubescente et in ramis conformibus, parva, opposita, ovalia, obtusa, subtomentosa, integerrima, brevi petiolata, ex albo viridia, odoris fortis, proprii, saporis aromatici, subacris, amaricantis.

Flores albi, in spiculas ternatas, sessiles, subglobosas, congesti.

#### MALVA SYLVESTRIS, Herba.

*Malva sylvestris* L. (Monadelphia Polyandria L.; fam. Malvaceæ). Planta indigena, fere ubique obvia.

Herba, caule erecto, herbaceo, ramoso, foliis septemlobatis, acutis, dentatis, subtus subvillosis, petiolis pedunculisque pilosis. Flores sunt axillares, aggregati, majusculi, violacei, purpureo-venosi, corolla quinquepartita.

#### MALVA VULGARIS, Herba.

*Malva rotundifolia* L. (Monadelphya Polyandria L.; fam. Malvaceæ). Planta perennis indigena, vulgatissima.

Herba, caule prostrato, foliis longe petiolatis, subrotundis, obsolete quinque lobatis, denticulatis, utrinque minutim pubescentibus, inodoris, saporis subviscidi, mucilaginosi. Corolla pallide rubella, venis purpureis picta, inodora.

Ne confundenda cum Malva sylvestri, cujus caulis erectus, folia septemlobata et corolla major, violacea.

#### MANNA.

*Fraxini Orni* L.; *Orni Europæ* Pers. (Diandria Monogynia L.; fam. Fraxineæ), arboris Europæ australis, succus sponte vel ex cortice inciso, mensibus æstivis stillans.



Manna Calabrina ac Siciliana in frustulis adfertur solidis, oblongis, levibus, friabilibus, ex albo lutescentibus, fracturæ granulatae, calore manu emolliendis et subviscidis, odoris proprii, submellei, saporis dulcis, subnauseosi, acriuseuli.

Præstat siccior, levior, purior, subpellucida, albicans cum rubedine. Glebæ hujus mannæ majores, purissimæ, sub nomine Mannæ electæ venduntur. Manna in lacrymis ex arbore sponte stillans omnium purissima, nobis nunquam adlata. Servetur in loco sicco et frigido.

Manna cum saccharo aut melle adulterata, detegitur ope alcoholis frigidi et diluti, qui saccharum præcipue solvit.

#### MARRUBIUM ALBUM, Herba.

*Marrubium vulgare* L. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatae). Planta perennis indigena.

Herba in caule erecto, ramoso, inferne lanuginoso, albido, folia opposita, petiolata, subrotunda, utrinque incano villosa, grosse crenata, odoris proprii balsamici, tritu aucti, saporis similis, amari.

#### MASTICHE s. MASTIX.

*Pistacia Lentisci* L. (Diœcia Pentandria L.; fam. Terebinthaceæ), fructis Europæ australis et Orientis, e cortice trunci et ramorum, resina in lacrymarum forma stillans ac sole indurescens.

In granis prostat parvis, subglobosis, siccis, fragilibus, pallide flavis, subpellucidis, superficie pulverulentis, fractura splendentibus, odoris debilis sed grate balsamici, saporis adstringentis, aromatici. Masticatione grana mollescunt et in essentia Terebinthinæ facile solvuntur. Ab Olibano aut Sandaraca quibus sæpe adulterantur, forma globosa, pelluciditate, etc., discernuntur.

#### MEL.

Substantia notissima, excreta *Apibus mellificis* L. e nectariis florum collecta et in favos delata.

Mel virgineum, e favis diffractis sponte emanans optimum, spissum, recens consistentiæ æquabilis, coloris ex albido flavescentis, odoris genuini, balsamici, grati, saporis dulcissimi, amœni, tempore in massam granulosa opacam mutans.

Mel commune vel flavum e favis expressum vel excoctum, coloris flavofuscescentis, pro veterinariis reservatur.

Mel in spiritu vini 20° plane solvitur; aqua dilutum et ebullitum

cum tinctura Iodi non cœrulescat, ex farina fraudulenter admixta.  
Servetur in loco frigido sicco.

MELILOTUS, Summitates floridæ.

*Trifolium melilotus* L.; *Melilotus officinalis* Willd. (Diadelphia Decandria, fam. Papilionaceæ). Planta biennis, indigena, ad vias et in ruderalis frequens.

Herba, caule erecto, ramoso, glabro; foliis alternis, petiolatis, ternatis, foliolis ovatis, obtusis, mucronatis, acute serratis, glabris, saturate viridibus, saporis subamari, mucilaginosi; floribus luteis seu citrinis, in spicas prælongas digestis, corollis papilionaceis, odoris suaveolentis, subfragrantis.

MELISSA, Herba.

*Melissa officinalis* L. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatae). Planta perennis Europæ australis, in Belgio culta.

Herba, caule erecto, ramoso, sulcato, superne subpiloso, foliis oppositis, breviter petiolatis, ovato-cordatis, obtusis, grosse et inæqualiter serratis, rugosis, pubescentibus, supra læte viridibus, infra pallidioribus, odoris gratissimi citrini, saporis similis, amariusculi.

Ne confundatur cum herba Dracocephali Moldaviciæ L., cujus folia sunt lanceolata, inciso-crenata, subtus punctata. Hæc species apud nos etiam adhibetur sub nomine Melissæ Moldaviciæ seu Turcicæ.

MENTHA CRISPA, Folia cum summitatibus.

*Mentha crispa* L. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatae). Planta annua Europæ australis, nobis hortensis.

Folia, in caule erecto, quadrigono, ramoso, subpiloso, opposita, brevissime petiolata, ovato-cordata, grosse et inæqualiter dentata, margine plus minusve undulato-crispa, rugosa, subhirsuta, obscure viridia, odoris fragrantis, balsamici, saporis aromatici, calidi, subamari.

Flores sunt verticillato-spicati, parvuli et pallide rubelli.

MENTHA PIPERITA, Folia cum summitatibus.

*Mentha piperita* L., planta perennis in Belgio haud communis, sed in hortis culta.

Herba, caule erecto, subsimplici et ramoso, quadrangulo, glabriusculo; foliis oppositis, subpetiolatis, ovato-lanceolatis, acutis, serratis, supra glabris, subtus subhirsutis, læte viridibus. Flores capitulato-spicati, densi, violaceo-purpurei, una cum foliis odoris fragrantis, saporis aromatici, cam-



phoracei, urentis, et postea grate refrigerantis. Serventur in vase probe clauso.

Ne confundenda planta ista cum *Mentha viridi* L., quæ distinguitur foliis subsessilibus, angustis, lanceolatis, acuminatis, utrinque glabris, saturate viridibus.

#### MERCURIALIS, Herba.

*Mercurialis annua* L. (Diœcia Enneandria L.; fam. Euphorbiacæ). Planta annua, indigena.

Herba, in caule erecto, ramoso, glabro, folia offerens opposita, petiolata, ovato-lanceolata, acuta, obtuse serrata, brevissime ciliata, glabra, læte viridia. Flores parvi, axillares, e flavescenti virides, masculis pedunculatis, spicatis, fœmineis subsessilibus, solitariis. Folia recentia odoris ingrati, subvirosi, saporis salsi, amariusculi.

#### MEZEREUM, Cortex.

*Daphne mezereum* et *Daphne laureola* L. (Octandria Monogynia L.; fam. Thymelææ). Frutex Galliæ, Hispaniæ, etc., nobis hortensis.

Cortex in segmentis seu fasciis longis, tenuibus et tenacissimis divisus adfertur. Sub epidermide cinereo-rufescente, glabra, sistunt strata corticalia, ex albo flavicantia, e fibrillis tenuibus contexta, odoris nullius, saporis peracris, urentis.


#### MILLEFOLIUM, Herba florens.

*Achillea millefolium* L. (Syngenesia Polygamia superflua L.; fam. Compositæ). Planta perennis Europæ et Americæ borealis.

Herba, caule erecto, cylindrico, lanuginoso, superne ramoso, foliis sessilibus, inferioribus bipinnatis, oblongo-lanceolatis, laciniis linearibus, dentatis, subtus lanuginosis. Flores sunt densi, in corymbum dispositi, albi aut rubelli. Hujus plantæ odor debilis, haud gratus, aromaticus, sapor amaricans, subadstringens.

#### MINIUM.

*Plumbum oxydatum rubrum. Oxydum plumbi rubrum.*



Pulvis ruber ponderosus, aqua insolubilis; igne ardente non avolat, sed oxygenium emittit oxydum plumbi flavum relinquens. Acido nitrico partim solvitur, partim in oxydum plumbi fuscum mutatur.

Adulteratio cum oxydo ferri rubro vel terra ochracea rubra agnoscitur

solvendo Minium in acido chlorhydrico ope caloris; terra insoluta remanet et solutio, propter ferrum, colorem flavum exhibet. Si cupro inquinatum est, solutio Minii prædicta addito ammonio caustico ultra punctum saturationis, dein filtrata, colore cœruleo tingitur.

MORUS, Baccæ.

*Morus nigra* L. (Monœcia Tetrandria L.; fam. Urticæ). Arbor Orientis in Belgio culta.

Fructus notissimi.

MOSCHUS.

Folliculi *Moschi Moschiferi* L., animalis Asiæ mediæ, Tibeti, Tartariæ, etc., prope genitalia maris positi.

Duæ sunt Moschi species: scilicet Moschus Tunquinensis seu Tibetanus, et Moschus Moscoviticus seu Cabardinus aut Sibiricus.

Prima optima, in folliculis adfertur siccatis, rotundo-oblongis, ovum columbinum circiter magnis, hinc convexis, inde planis, in parte convexa et circa ductum excretorium, in medio positum, pilis rigidis, brevioribus, rarioribus, fusciscentibus, obsitis. Substantia interna subunctuosa est, granuloso-grumosa, plus minusve mollis, e rufo nigricans, globulis perpaucis variæ magnitudinis, fusco-nigris, pingue nitentibus et cuticulæ segmentis nec non pilis tenerrimis intermixta; magis siccata, punctis subresinosis lucidis, flavicantibus, notatur. Hæc massa a pilis et partibus membranceis liberata, Moschus est officinalis odoris gravissimi proprii, saporis penetrantis, aromatico-amaricantis, nunquam salini.

Rejiciatur Moschus Moscoviticus, folliculis majoribus, odore debiliori, pilisque in vesica albo-cinereis, densis, longioribus, dignoscendus.

Moschus ex folliculis exemptus in officinis non recipiatur, utpote plerumque adulteratus.

Servetur in vitris bene clausis.

MYRRHA.

*Balsamodendri Kataf* Kunth; *Balsamodendri Myrrhæ* Nees ab Esemb. (Diœcia Octandria L.; fam. Amyrideæ), arborum Arabiæ felicis et Æthiopiæ, succus gummi-resinosus, e trunco exsudans et aëre induratus.

In frustis conglomeratis vel in granis prostat polymorphis, rugosis, variæ magnitudinis, coloris fulvi aut rufi, subpellucidis, tactu subpinguibus, fragilibus, fractura inæquali, non splendente, striis albidis intermixta, odoris proprii, grate aromatici, balsamici, saporis similis, amari.



Rejicienda est Myrrha in frustis adlata nigrescentibus, interne fusco-rubris, glutinosis, vel in frustulis albis et viridescantibus, odoris ingrati, terebinthinacei, saporis amarissimi, nauseosi, acris.

MYRTILLUS, Baccæ.

*Vaccinium myrtillus* L. (Octandria Monogynia L.; fam. Vaccinææ). Frutex in nemoribus Belgii frequens.

Fructus notissimi.

NASTURTIUM AQUATICUM, Herba recens.

*Sisymbrium nasturtium* L.; *Nasturtium officinale* Rob. Br. (Tetradynamia Siliquosa L.; fam. Cruciferae). Planta perennis ad fontes ac rivulos indigena.

Herba, caule decumbente radicante, ramoso, cylindrico, glabro, foliis alternis, sessilibus, impari-pinnatis, foliolis oppositis, ovatis vel subrotundis, crassis, glabris, læte viridibus, saporis subacris, amaricantis, odoris, dum teritur, pungentis.

NEPETA, Herba.

*Nepeta cataria* L. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatae). Planta perennis, indigena.

Herba, foliis petiolatis, cordiformibus, dentato-serratis, pubescentibus; floribus verticillato-corymbosis, corolla albida aut rubella. Hujus plantae odor fragrans, aromaticus, sapor aromatico-camphoraceus, subamarus.

NICOTIANA, Folia.

*Nicotiana tabacum* L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Solanææ). Planta annua in America meridionali sponte crescens, apud nos culta.

Folia probe siccata, flavescentia, nondum contorta, odoris nauseoso-narcotici, saporis peramari, acris.

NITRAS POTASSÆ.

*Kali nitricum crudum. Nitrum.*

Sal crystallos exhibens prismaticas, hexangulares, saporis ingrati pungentis, salsi, amariusculi, refrigerantis. Vide Nitras potassæ depuratus.

NUX MOSCHATA, Macis et Oleum.

*Myristica moschata* L. (Dicaeia Monadelphia L.; fam. Myristiceæ). Arbor insularum Moluçarum.

Semina seu nuclei subrotundi, extus cinereo-fusci, reticulato-rugosi, ponderosi, duriuseculi, intus striis pallide rubellis et ex fusco rubris variegati, odoris fragrantis, grate aromatici, saporis aromatico-acris, oleosi.

Macis, seu Arillus nucis Moschatae, laciniatus, retiformis, subcarnosus, tactu pinguis, flexilis, recens coccineus, subdiaphanus, post exsiccationem coloris late cinnamomeo-flavescentis, odoris fortioris, saporis calidioris aromatici.

Oleum nucis expressum, butyrum seu balsamum Nucistae dictum, substantiam sistit butyraceam, coloris ut Macis, odoris grate aromatici. In aethere plane solvitur; hinc sebo adulteratum solutionem in aethere turbidam praebet.

#### NUX VOMICA.

*Strychnos nux vomica* L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Strychnæ). Arbor Indiae orientalis.

Semina disciformia, 2 centim. circiter lata, utrinque compresso-plana, margine nonnihil crassiora, 3 ad 4 millim. crassa, umbilicata, e cinereo ochroleuca, villis e flavo bruneis, mollibus, splendentibus obsita, inodora, cum sapore nauseoso, amarissimo. Cautissime servantur.

#### OLEUM OLIVARUM.

*Olea Europaea* L. (Diandria Monogynia L.; fam. Oleineæ). Arbor Orientis et Europæ meridionalis.

Oleum e drupis maturis leni expressione obtentum, pingue, pellucidum, coloris virescentis vel pallide flavescentis, vix odoratum, saporis subdulcis, mitis, frigore facile in massam albam, granulosam, coalescens. Pond. specif. 0,915.

Oleum Olivarum commune, secunda expressione et ope caloris obtentum, coloris obscurioris flavo-virentis, non nimis spissum, odoris proprii haud grati etsi debilis, pond. specif. 0,927. Hoc ad paranda emplastra et olea cocta solummodo adhibeatur.

Adulteratio cum oleo Papaveris detegitur ope acidi nitrosi aut solutionis recentis sex partium hydrargyri in septem cum dimidia partibus acidi nitrici 58°, quacum sufficiente quantitate commixtum et bene conquassatum post aliquot horas, temperatura 6-15 C., penitus indurescere debet.

#### OLEUM PYRO-ANIMALE.

*Oleum animale empyreumaticum. Oleum cornu cervi fetidum.*

Ex omnibus partibus animalium in officinis chemicis destillatione sicca obtinetur.



Oleum crassiusculum, fusco-nigrum, opacum, odoris fortis alcalino-empyreumatici, saporis paris, amaricantis, nauseosi.

Depuretur encheiresi in altera parte Codicis dicta.

#### OLIBANUM s. THUS.

*Boswelliæ serrate* Coleb; *Boswelliæ thuriferæ* Roxb. (Decandria Monogynia L.; fam. Amyrideæ), arboris Indiæ orientalis, succus gummi-resinosus e trunco stillans et aëre indurescens.

Olibanum in granis adfertur oblongis aut subrotundis, sæpe invicem coherentibus, siccis, fragilibus, ex albo flavescentibus vel rubellis, semipellucidis, externe pulvere albido inspersis, tactu asperis, fracturæ plano-conchoïdæ, saporis balsamici, amariusculi, odoris balsamico-resinosi, imprimis dum incenduntur.

#### ONONIS, Radix.

*Ononis spinosa* L. (Diadelphia Decandria L.; fam. Papilionaceæ). Planta perennis, indigena, ad vias et in ruderatis frequens.

Radix repens, teres, prælonga, digitum crassa, lignosa, flexibilis, tenax, extus griseo-fusca, intus alba, odoris expers, saporis amariusculi, adstringentis.

#### OPIUM.

*Papaver somniferum* L. (Polyandria Monogynia L.; fam. Papaveraceæ). Planta annua in Oriente spontanea.

Succus gummi-resinosus e pericarpis submaturis vulneratis stillans et aëre induratus, in placentis prostat rotundis vel complanatis, variæ magnitudinis, foliis involutus seminibusque rumicis cujusdam sæpius conspersus.

Massam refert solidam, ponderosam, opacam, parum nitentem, inter digitos mollescentem, coloris e fulvo rufi aut flavo-fusci, odoris ingrati, narcotici, saporis acris, amari, nauseosi. In aqua et in alcohole 25° maxima ex parte solvitur.

Eo melius est Opium quo majorem Morphinae copiam continet, seu quo infusum aquosum, ammonia liquida affusa, magis præcipitatur. Solutio ejus aquosa satis diluta ut color sit pallide fuscus, guttulis aliquot perchlorureti ferri soluti colorem induit rubrum, acidi Meconici indicium.

Solum Opium Smyrneum admittendum, et cavendum ab Opio odoris debilis, empyreumatici, coloris obscure fusci aut nigri, glutinoso aut aëris humore mollescente, nec non a nimis duro et fragili, non inflammabili,

et salivam, quam genuinum ex flavo subfusco tingit, obscure fuscam reddente.

#### OPOPONAX.

*Pastinacæ opoponacis* L.; *Ferulæ opoponacis* Spr. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferæ), plantæ Europæ australis et Orientis, succus e caulibus et radice sauciatis effluens et aëre induratus.

Gummi-resina granulosa, fragilis, tactu subpinguis, extus rufo-lutescens, intus pallidior, odoris fortis, subnauseosi, saporis balsamici, amari, in globulis Nucis Avellanæ vel Juglandis magnitudinis ut plurimum conglutinata.

#### ORIGANUM, Herba florens.

*Origanum vulgare* L. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatae). Planta perennis indigena.

Folia in caule erecto, obsolete tetragono, purpurascens-fusco, superne ramoso opposita, petiolata, ovata, subtus pubescentia. Flores corymbosi in spicas densas, bracteatas dispositi, corollis pallide purpureis, rarius albidis.

#### ORYZA, Semen.

*Oryza sativa* L. (Hexandria Digynia L.; fam. Gramineæ). Planta annua Indiæ orientalis, in regionibus calidioribus culta.

Semen Oryzæ excorticatum notissimum. Sit album, subpellucidum, durissimum, inodorum et insipidum.

#### OS SEPIÆ.

Pars dorsi testacea interna *Sepiæ officinalis* L., Molluscum maris Mediterranei.

Os sepiae lamina est solida, ovato-oblonga, alba, levis, utrinque leviter convexa, in parte superiore lamellis concentricis, tenuibus, corneis, et in parte inferiore e substantia porosa constans, fragilis, inodora, saporis subsalso-marini, terrei. Pars inferior sola in usum vocanda.

#### OSSA USTA ALBA.

*Phosphas calcis ossium. Cinis ossium. Cornu cervi ustum.*


Parantur ossium calcinatione donec carbo aëris aditu plane combustus sit. Massam efformant griseo-albam, e phosphate calcis et parva quantitate carbonatis calcis compositam. In acido chlorhydrico diluto cum effervescencia solvuntur.



BI-OXALAS POTASSÆ.

BI-OXALAS KALICUS.

*Kali bi-oxalicum. Superoxalas potassæ. Sal acetosellæ.*



Sal albus, acidus, in aquæ bullientis partibus decem solubilis, in spiritu vini rectificato non solubilis. Ne sit cremore tartari aut bisulphate potassæ vel nitrate potassæ inquinatus. Combustione relinquat cineres albos, carbonatam potassæ tantum continentes.

BI-OXYDUM MANGANESII.

BI-OXYDUM MANGANICUM.

*Manganum hyperoxydatum. Superoxydum manganicum.*

Occurrit in massis crystallinis vel radiatim fibrosis, compactis, ponderosis, fragilibus, subsplendentibus, coloris chalibeo-grisei, fracturæ minutim granulosa, digitos inquinantibus.

Quod venale prostat, nonnisi compactum ematur, minime pulveratum. Præferendæ sunt massæ splendentes, texturæ lamellosæ seu radiatæ.

Quinque partes oxydi manganici puri cum sextuplo acidi chlorhydrici liquidi calefactæ circiter quatuor partes Chlori evolvunt; ideo eo melius est oxydum quo majorem Chlori copiam, operatione chlorometrica dignoscendam, emittit.

PAPAVER ALBUM, Capita, Semen, Oleum.

*Papaver somniferum* L. (Polyandria Monogynia L.; fam. Papaveraceæ).

Planta annua Orientis in Belgio culta.

Capsulæ subglobosæ vel ovato-oblongæ, majusculæ, recentes glaucocærulescentes, siccæ rugosæ, flavo-testacæ, pileo stellato ex reliquiis stigmatis formato coronatæ, saporis nauseosi, amari. Colligantur immaturæ, succo lacteo in parte corticali turgentes.

Capsula Papaveris somniferi, seminibus ademptis, pondere grammata quatuor pro usu medico adæquat.

Semina matura colligenda, minuta, reniformia, subrugosa, albicantia aut nigrescentia, odoris nullius, saporis oleoso-dulcis. Rejiciantur rancida vel cariosa.

Oleum e seminibus expressum unguinosum, paululum spissum, flavescens, odoris fere expers, saporis grati, dulciusculi. Pond. specif. 0,925.

PAPAVER RHÆAS, Flores.

*Papaver rhæas* L. (Polyandria Monogynia L.; fam. Primulaceæ). Planta annua, indigena, inter cerealia frequens.

Flores solitarii, ex petalis quatuor puniceis constantes, subrotundis, basi nigro maculatis, odoris debilis, subpapaverini, saporis subamari, mucilaginosi. Capsula est obovata vel subrotunda et glabra; qua nota ab affinibus speciebus distinguitur.

PARIETARIA, Herba.

*Parietaria officinalis* Willd. (Tetrandria Monogynia L.; fam. Urticææ). Planta perennis, indigena, ad vias, muros, etc., crescens.

Herba, caule erecto, cylindrico, ramoso, subpiloso, carnosio, rubescente; foliis alternis, petiolatis, ovatis, acuminatis, integerrimis, utrinque breviter pilosis, asperis, saturate viridibus; floribus parvis, axillaribus, apetalis, incano-viridibus.

Planta inodora, saporis subsalsi, amariuseculi, subadstringentis.

PASSULÆ MINORES.

*Passulæ Corinthiaca. Uvæ minores.*

*Vitis apyrena* L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Viniferae). Frutex Europæ australis, imprimis Archipelagi græci.

Baccæ maturæ vel siccatae, nigro-fuscae, subrotundæ, vix Pisi minoris magnitudine, molles, rugosæ, parenchymatis pulposi, seminum expertes, odoris debilis vinosi, saporis e dulci aciduli. Probe mudentur.

PETROLEUM.

*Oleum petrae.*

Bitumen liquidum in Oriente et in variis Europæ locis e terra vel rimis saxorum passim profluens, sæpius aquæ innatans.

Duæ in commercio habentur species :

Petroleum album dictum, tenue, limpidum, flavescens vel rubello-flavum, volatile, odoris penetrantis succinei, saporis balsamici, aëris aditu per tempus spissescens, et in sequentem speciem sese immutans. Pond. specif. 0,79-0,83.

Petroleum commune, fusco-nigrum, spissius, sub aquæ bullientis calore volatile, odoris penetrantis, bituminosi, fœtidi. Aëris aditu sensim in Maltham abit.

Constat e variis oleis ejusdem fere compositionis, et omnia ex carbone



hydrogenio conjuncto formata. In oleis, nec non in alcohole 55°, cui in-  
natat, solvitur Petroleum. Adulteratio cum oleo Terebinthinæ ex addito  
acido sulphurico vel nitrico concentrato, incalescentia et denigratione  
innotescit.

Petroleum album semper dispensandum est nisi expressis verbis aliud  
petatur. Pro usu interno rectificatur.

Servetur in vasis probe clausis.

#### PETROSELINUM, Herba recens, Semina.

*Apium petroselinum* L. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferæ).  
Planta biennis in Belgio culta.

Folia decomposita, lucida, glabra, læte viridia; foliolis inferioribus  
ovato-cuneatis, trifido-incisis, superioribus lanceolato-linearibus, odore  
grato, aromatico, præsertim si teruntur, saporis paris.

Ne confundenda hæc planta cum *Æthusa cynapium* L., cujus folia e viridi  
nigricantia et odoris nauseosi, virosi, nullo modo aromati.

Semina Petroselini minutula, virescentia, ex ovato-oblonga, incurva,  
hinc plana, inde convexa, costis quinque obtusiusculis notata, odoris aro-  
matici proprii, saporis amaricantis, aromati.

#### PELLANDRIUM AQUATICUM, Semen.

*Phellandrium aquaticum* L.; *Ænanthe Phellandrium* Lam. (Pentandria  
Digynia L.; fam. Umbelliferæ). Planta perennis, indigena, ad lacus et in  
fossis obvia.

Fruetus, vulgo Semina, parvi, ovato-oblongi, obsolete striati, e viridi  
subfusi, segmentis calycinis stylisque persistentibus coronati, biparti-  
biles in semina duo, uno latere plana, altero convexa, quinque costata,  
odoris graveolentis, levistici, saporis ingrati, dulciusculi.

#### PHOSPHORUS VENALIS.

Solidus, subtenax, recens albidus aut vix flavescens, subpellucidus, ceræ  
instar splendidus, odoris alliacei. Calore 44° C. liquatur; in aëre vapores  
emittit albos, noctu lucentes, et flammam facillime concipit.

Phosphorus venalis in bacillis prostat calamum scriptorium circiter  
crassis, temporis tractu strato albo tenue obductis. Qui nigrescentes sunt  
vel rubri, ut plurimum arsenico inficiuntur. Ad hoc metallum detegen-  
dum, Phosphorus ope acidi nitrici in acidum phosphoricum transmutetur,  
ex quo arsenicum facile innotescit. Vide Acidum phosphoricum.

Caute servetur Phosphorus in lagenulis vitreis aqua destillata impletis et accurate clausis, loco obscuro.

PICHURIM, Semen.

*Faba Pichurim.*

*Ocotea Puchuri* Mart.; *Nectandra Puchuri* Nees. (Diœcia Dodecandria L.; fam. Laurinæ). Arbor Americæ meridionalis.

Nuclei oblongo-ovati, utrinque obtusiusculi, in cotyledones duas uno latere planiusculas vel subcavas, altero convexas, ut plurimum disjuncti, extus nigricantes, glabri, intus subfusi, odoris ac saporis Nucis Moschatae et ligni Sassafras mixti.

PIMPINELLA ALBA, Radix.

*Pimpinella saxifraga* L. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferae). Planta perennis, indigena.

Radix fusiformis, subramosa, digitum minorem circiter crassa, striis annularibus rugosa, extus e flavo cinerea, intus albicans, lamelloso-subporosa punctisque resinosis notata, recens odoris fortis, ingrati, saporis ex subdulci amaricantis primum, dein calidi et aeris.

PINUS, Resina alba, Colophonium, Pix alba, Pix nigra, Pix liquida, Terebinthina, Oleum essentielle, Gemmæ.

*Pinus sylvestris* L.; *Pinus abies* L.; *Pinus picea* L.; *Pinus larix* L. (Monœcia Monadelphia L.; fam. Coniferae), arbores frequentissimæ in sylvis borealibus et in Belgio cultae.

RESINA ALBA (Resina flava seu communis). Succus ex variarum Pini specierum trunco sponte fluens aut arte elicitus, aëre et frigore hiemali induratus.

Hæc resina flavescens, subdiaphana, frigore fragilis, ictu in fragmenta conchoïdea nitentia dissiliens, calore manus autem mollescens, odoris subterebinthinacei, saporis balsamici. In spiritu vini at non in aqua solvitur.

Resina particulis ligneis aliisque sordibus mixta, plane exsiccata, fere inodora, rejicienda est.

COLOPHONIUM (Pix græca, Resina fusca). Paratur ex resina communi sordibus privata, et in vase aperto sine aqua liquata donec pelluceat aut colorem rubro-flavum contraxerit odoremque terebinthinaceum perdidit. Datur quoque alia Colophonii species, Colophonium terebinthinaceum



dicta, quæ residuum est destillationis Terebinthinæ ad oleum Terebinthinæ parandum, liquatione lenis caloris ope aqua privatum.

**PIX ALBA** (Pix Burgundica). Ex resina alba liquata cum aqua cocta, dein colata, obtinetur.

Massa est resinosa, pallide fusca, fere impellucida, parum nitens, odoris et saporis terebinthinacei, frigore fragilis, fracturæ conchoideæ, calore manus mollescens massamque tum præbens tenacissimam.

**PIX NIGRA** (Pix navalis). Paratur evaporatione seu destillatione Picis liquidæ cujus est residuum.

Massa solida, atra, lucida, vitri nigri in modum nitens, frigore fragilis, fractura planiuscula nitida, manus calore emollienda digitisque tenaciter, adhærens, odore resinoso, sed fere absque sapore.

**PIX LIQUIDA**. Ignis ope e ligno sicco Pinorum destillatione per descensum eliquatur.

Massa est semi-fluida vel liquidum tenax, obscure fuscum nitensque, ingrate olens, saporis amari acris, empyreumatici.

**TEREBINTHINA**. Liquor balsamicus e trunco Pini sauciato vel sponte stillans.

Dantur duæ Terebinthinæ species, scilicet :

1<sup>o</sup> *Terebinthina communis*. Resina fluida e trunco vulnerato Pini silvestris L. elicita, spissa, tenax, albida seu ochroleuca vel grisea, opaca, granulosa, odoris fortis graveolentis, resinosi, saporis nauseosi, acris, cum quadam amaritie. In spiritu vini quam maxime solvitur. Ex resina et oleo Terebinthinæ constat.

2<sup>o</sup> *Terebinthina Veneta*. Pini Laricis L. succus natus, subflavescens, pellucidus, mellis tenuioris consistentiæ, viscidus, tenuissimus, odoris gratioris terebinthinacei simulque citrini, cum sapore amaro et acri. Præcedenti compositione ac virtute similis, sed præstantior.

**OLEUM ESSENTIALE TEREBINTHINÆ** (C<sup>20</sup>H<sup>16</sup>). Destillatione e Terebinthina communi cum aqua obtinetur.

Oleum est æthereum, liquidum, tenuissimum, coloris expers, odoris ingrati balsamici, saporis acris pungentis, pond. specif. 0,86. Punctum ebullitionis 137° C.

Cave ne sit adulteratum cum oleo ex ligno et strobulis diversarum Pini specierum destillato, odoris deterioris.

**GENNÆ PINI**. Ramulorum juniorum germina terminalia, aggregata, ferruginea, undique tecta squamis imbricatis, linearibus, membranaceis, resina exsudata glutinosis. Colligantur primo vere cælo sereno, et in vasis optime clausis serventur.

PIPER, Semen.

*Piper nigrum* L. (Diandria Digynia L.; fam. Piperaceæ). Frutex Indiae orientalis in insulis Moluccensibus præcipue cultus.

Baccæ immaturæ siccatae, notissimæ.

PIPER ALBUM.

Baccæ maturæ Piperis nigri cortice liberatæ, rotundæ, læves, albæ, sapore minus acres quam Piper nigrum.

PIPER HISPANICUM, Fructus.

*Piper indicum.*

*Capsicum annum* L.; *Capsicum indicum* Lobel. (Pentandria Monogynia L.; fam. Solaneæ). Planta annua Americae meridionalis, in Belgio culta.

Fructus oblongi, obtusi, conici, 6 ad 9 centim. longi, coriaceo-membracei, maturi coloris coccinei, bi-triloculares, semina foventes parva, albida, subrotunda, compressa, saporis proprii fervidi, piperacci, linguae diu adherentis.

PLUMBUM.

Metallum notissimum. In acido nitrico facile, in aliis autem acidis ægre solvitur. Solutio nitrica a sulphohydrate ammonico liquido e cinereo nigra evadit, ac sedimentum nigrum deponit. Cum sulphate sodæ præcipitatum album demittit.

POEONIA, Radix.

*Pæonia officinalis* L. (Polyandria Digynia L.; fam. Ranunculaceæ). Planta perennis Europæ meridionalis, apud nos in hortis culta.

Radix, ex rhizomate multicipite et tuberibus oblongis aut subrotundis, constans, extus rubro-fusca, intus albida, carnosu-succulenta, recens odoris proprii, ingrati, saporis nauseosi, primum dulciusculi, postea amari et subacris.

POLYGALA AMARA, Tota planta.

*Polygala amara* L.; *Polygala amarella* Cr. et Reich. (Diadelphia Octandria L.; fam. Polygalæ). Planta perennis, indigena.

Herba subflorida cum radice tenui, fibrosa, nodosa, in radicellis inferne divisa densis, rigidis, subluteis; foliis inferioribus obtusis, spatulatis, in orbem dispositis, superioribus sessilibus, angustis, lanceolatis, acutis.



Flores in racemum terminalem dispositi, læte cœrulei aut albicantes.  
Tota planta fere inodora, peramara.

**POLYGALA SENEGA, Radix.**

*Polygala senega* L. (Diadelphia Octandria L.; fam. Polygalæ). Planta perennis Americæ temperatæ et borealis.

Radix 2 ad 5 millim. crassa, varie torta et inflexa, rugosa, subnodosa, extus cortice tenaci, crasso, resinoso, flavescente, epidermide cinerea vestito, instructa, intus albida, odoris vix ullius, saporis primum farinacei, mox subacidi, dein ex amaro acris.

**POLYPODIUM VULGARE, Radix.**

*Polypodium vulgare* L. (Cryptogamia L.; fam. Filicæ). Planta perennis, indigena, in rupibus et sylvis obvia.

Radix (Caudex) horizontalis prælonga, calamum scriptorium crassa, tuberculosa, extus squamulis tenuibus, fuscis tecta, intus e luteo viridescens, siccata vero fuscescens, fere inodora, saporis primum prædulcis, nauseosi, dein adstringentis et ad finem amaricantis.

**POPULUS, Gemmæ s. Oculi.**

*Populus nigra* L. (Diæcia Octandria L.; fam. Amentacæ). Arbor indigena.

Gemmæ seu germina foliorum ex flavo viridia et succo balsamico glutinoso turgida.

**PRUNUS, Fructus.**

*Prunus domestica* L. (Icosandria Monogynia L.; fam. Rosacæ). Arbor apud nos culta.

Fructus notissimi.

**PULEGIUM, Herba florens.**

*Mentha pulegium* L. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatæ). Planta perennis, indigena, in locis udis crescens.

Folia in caule repente, subtereti opposita, breviter petiolata, ovato-lanceolata, obtusa, dentata, hirsuta, saporis aromatici, fervidi, odoris fragrantis, aromatico-menthacei. Flores sunt verticillati, pallide violacei aut rubelli.

**PULSATILLA, Herba florens.**

*Anemone pulsatilla* L. (Polyandria Monogynia L.; fam. Ranunculacæ). Planta perennis, indigena, in locis siccis crescens, sed rara.

Herba, caule erecto, tereti, subsimplici, pubescente; foliis radicalibus petiolatis, pilosis, foliolis multipartitis, laciniis angustis, linearibus, acutis, quodammodo subulatis. Flos solitarius, pendulus, hirsutus, longe pedunculatus, cum petalis sex reflexis, extus sericeis, intus cyaneis. Odor hujus plantæ vix ullus, sapor acer et urens. Cautè serva in vitris clausis.

**PYRETHRUM, Radix.**

*Anthemis pyrethrum* L.; *Anacyclus Pyrethrum* Schr. (Syngenesia Polygamia superflua L.; fam. Compositæ). Planta perennis Africae borealis et Europæ meridionalis.

Radix ad nos advecta in frustulis plus minusve longis, calamum scriptorium ad digitum minorem crassis, dura, rugosa, extus griseo-fusca, intus albida, odoris expers, saporis acris, urentis.

Radix Anacycli officinarum Hayn., quæ radix Pyrethri germanici vocatur, tenuior, extus e cinereo fusca, minus rugosa et fibris filiformibus notata.

**QUASSIA, Lignum.**

*Quassia amara* L. (Dodecandria Monogynia L.; fam. Simarubeæ). Frutex Indiæ occidentalis.

Lignum in segmentis subcylindricis, magnitudinis et crassitudinis variæ prostans, fibrosum, tenax, leve, albidum aut flavescens, epidermide subaspera, cinerea et cortice pallide flaviusculo tectum, odoris nullius, saporis amarissimi.

**QUERCUS, Cortex, Glandes.**

*Quercus robur* L.; *Quercus pedunculata* Willd. (Monœcia Polyandria L.; fam. Cupuliferæ). Arbores indigenæ.

Cortex biennium trienniumque ramorum vere detrahendus.

Glandes seu fructus maturi sine cupulis.

**RATANHIA, Radix.**

*Krameria triandra* Ruiz et Pavon. (Tetrandria Monogynia L.; fam. Polygaleæ). Suffrutex Americae meridionalis.

Radix (Rhizoma) lignosa, ramosa, ramis teretibus prælongis, 4 ad 5 centim. crassis, passim tenuioribus, versus finem in fibrillas coarctatis. Sub epidermide rufo-fusca, aspera, corticem præbet crassiusculum, rubro-violaceum, inodorum, saporis peradstringentis, amaricantis. Masticata salivam colore obscure rubro tingit. Rejiciatur pars lignosa insipida et iners.



RHEUM, Radix.

*Rheum palmatum* L. (Enneandria Trigynia L.; fam. Polygonæ). Planta perennis Chinensis.

Radix in officinis prostrans decorticata, compacta, fragilis, extus flava vel ex albo lutea, intus dilute crocea cum striis albis et rubellis, Nucis Moschatae instar variegata, odoris proprii quodammodo aromatici, saporis amaricantis, subadstringentis, ingrati.

Optima, Moscovitica dicta, in frustis prostrat majoribus, polymorphis, ut plurimum oblongis aut subteretibus et foramine sat amplo pertusis.

Seligatur radix ponderosa, non cariosa, masticata stridens et salivam mox colore croceo tingens.

RHUS, Folia.

*Rhus radicans* et *Rhus toxicodendron* L. (Pentandria Trigynia L.; fam. Terebinthaceæ). Frutices sarmentosæ scandentes Americæ borealis, nobis hortenses.

Folia sunt alterna, longe petiolata, foliolis ovatis, acutis, integris aut sinuato-crenatis, obscure viridibus, glabris (*Rhus radicans*), vel subvillosis (*Rhus Toxicodendron*). Recentia succo lacteo flavescente, acri et cutim nigro pingente secatent. Colligantur ante anthesin manibus vestitis et caute serventur in vasis clausis.

RIBESIÆ RUBRÆ.

*Ribes rubrum* L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Grossulariæ). Frutex in hortis nostris cultus.

Fructus maturi sat noti.

RIBESIUM NIGRUM, Folia.

*Ribes nigrum* L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Grossulariæ). Frutex indigenus.

Folia longa, petiolata, quinque-loba, lobis acutiusculis grosse serratis, supra glabra, subtus pubescentia, odoris ingrati cymicini, saporis styptici, aciduli.

RICINUS, Oleum.

*Oleum Castoris. Oleum Palmæ Christi.*

*Ricinus communis* L. (Monœcia Monadelphia L.; fam. Euphorbiacæ). Planta perennis utriusque Indiæ, Africæ et Europæ meridionalis, apud nos annua.

Oleum Ricini e seminibus expressione aut coctione cum aqua in India et

Gallia elicium, pingue, spissiusculum, coloris expers aut pallide flaves-  
cens, inodorum, saporis mitis non acris. Pond. specif. 0,954.

Hoc oleum ex aëris aditu facile rancescit. In alcohole fortiore plane sol-  
vitur et in frigore lente coalescit. Rejjiciatur fuscum, saporis acris, aut in  
alcohole 55° non plane solubile.

Servetur in lagenis repletis bene obturatis.

ROSA PALLIDA, Flores.

*Rosa centifolia* L. (Icosandria Polygynia L.; fam. Rosaceæ). Frutex  
Asiæ temperatæ, apud nos cultus.

Petala obcordata, pallide rubentia, odoris suavissimi, saporis subdulcis  
leniter adstringentis. Ante plenam florum evolutionem colligantur.

ROSA RUBRA, Flores.

*Rosa gallica* L. Frutex Europæ australis, nobis hortensis.

Petala obcordata, purpurea, recentia odoris suavis sed debilioris quam  
Rosæ centifoliæ, saporis subadstringentis et amaricantis. Colligantur ante  
florum explicationem, et resectis unguibus staminibusque remotis, celeriter  
siccantur.

ROSMARINUS, Herba florens, Oleum.

*Rosmarinus officinalis* L. (Diandria Monogynia L.; fam. Labiatæ),  
frutex Europæ meridionalis in Belgio cultus.

Folia in caule ramoso et in ramis oppositis, tetragonis, pubescentibus  
opposita, brevissime petiolata, lineari-lanceolata, obtusa, margine revoluta,  
superne saturate viridia, subtus incana et tomentosa, odoris fragrantis,  
fortis, saporis calidi, acris, camphoracei. Flores sunt spicati, ringentes,  
coloris e violaceo rubri.

Oleum æthereum (oleum Anthos) ex herba florente destillatione in  
Europa australi elicium, tenue, decolor aut e subviridi flavum, odoris  
graveolentis, saporis camphoracei. Pond. specif. 0,944—0,945.

RUBIA, Radix.

*Rubia tinctorum* L. (Tetrandria Monogynia L.; fam. Rubiaceæ). Planta  
perennis Europæ meridionalis et Asiæ minoris, in Belgio culta.

Radix perennis, repens, prælonga, geniculata, sparse ramosa, calamus  
scriptorium circiter crassa, cortice vestita crassiusculo, tinctorio, cum  
epidermide e rubello cinerascente, intus, si recens, lutea, siccata rubro-  
fusca, odoris fere nullius, saporis subadstringentis, amaricantis. E plantis  
tri vel quadriennibus colligenda est.



RUBUS, Baccæ.

*Rubus idæus* L. (Icosandria Monogynia L.; fam. Rosaceæ). Frutex indigenus in hortis cultus.

Fructus recentes, notissimi.

RUTA, Herba.

*Ruta graveolens* L. (Decandria Monogynia L.; fam. Rutaceæ). Fruticulus Europæ meridionalis, nobis hortensis.

Planta, caule glabro, glauco, inferne lignoso, superne herbaceo; foliis supra decompositis, ex glauco viridibus, petiolis teretibus, supra obsolete sulcatis, foliolis oblongis obtusis, integris vel margine minutim crenatis, terminali latiore obovato.

Folia ante anthesin colligenda, odoris fortis, proprii, saporis acris, amari, subaromatici. Cautè servantur.

SABADILLA, Semen.

*Veratrum sabadilla* Retz.; *Veratrum officinale* Schlecht. (Polygamia Monœcia L.; fam. Colchicaceæ). Planta perennis Mexicana.

Semina in fructu tricapsulari, membranaceo, oblongo, circiter semipollinari, e flavo-fuscescente, ut plurimum inclusa, exigua, subteretia, 3 millim. longa, rugosa, incurva, latere uno subplana, altero convexa, margine acuto, fusco-nigra, nitida, intus albida, inodora, saporis acerrimi, urentis, ingrâte amari. Cautè servantur.


SABINA, Summitates ramorum.

*Juniperus sabina* L. (Dioecia Monadelphia L.; fam. Coniferæ). Frutex Asiæ et Europæ meridionalis, in Belgio cultus.

Frondes, foliis minutis, quaternis, erectis, adpresso-imbricatis, crassiusculis, saturate viridibus, odoris gravis, ingrati, saporis nauseosi, resinoso-balsamici, amari.

Sit herba siccata viridis; nec confundenda cum Junipero communi L. aut Junipero virginiana L., quorum ramuli foliis ternis tecti sunt. Cautè servetur in vase clauso.

SACCHARUM LACTIS.



In Helvetia præsertim, e sero lactis, evaporatione et crystallisatione, paratur.


In crustis adfertur compactis vel glebis crystallinis albis, subdiaphanis,

haud nitentibus, saccharo communi durioribus, inodoris, saporis leviter sed grate dulcis. Pond. specif. 1,545.

Solvitur in aquæ frigidæ partibus octo et vix in spiritu vini bulliente. Cum acido nitrico calefactum acidum Mucicum præbet. Flavescens aut sordidum omnino rejiciatur.

#### SACCHARUM RAFFINATUM.

*Saccharum album. Saccharum Canariense.*



E succo *Sacchari officinarum* L. (Triandria Digynia L.; fam. Gramineæ), nec non radicis *Betæ vulgaris* L. (Pentandria Digynia L.; fam. Chenopodeæ), elicitor.

Substantia hæc notissima sit alba, inodora, sicca, dura, in aëre non mutans, in dimidia parte aquæ frigidæ, in quavis fere fervidæ solubilis; in alcohole quo magis rectificato eo minus solvitur. Acidis dilutis solutum, ope caloris transmutatur in Saccharum grumosum, Glucosam dictum, quæ saporis minus dulcis et in aqua alcalina soluta coctione subito nigrescit.

Saccharum calce, alumine vel metallis nocivis inquinatum, combustum cineres relinquit, quorum natura solutione in acido chlorhydrico facile exploratur.

Pro usu pharmaceutico et præsertim ad parandos syropos Saccharum raffinatum adhibeatur.

#### SAGAPENUM.

*Ferula Persica?* Willd. (Pentandria Digynia L.; fam. Umbelliferae). Planta perennis Persiæ et aliarum regionum orientalium.

Gummi resina tenax, pinguis, fusca, lacrymis aut granis variæ magnitudinis, fulvis aut rufis, subpellucidis intermixta, odoris ingrati, alliacei, saporis gravis, amaricantis, calidi et acris.

#### SAGO s. SAGU.

*Sagus Rumphii* Willd. ; *Sagus farinifera* Lam. (Monœcia Hexandria L.; fam. Palmæ), arbores Indiæ orientalis.

Fæcula amylacea e medulla harum arborum auxiliante aqua obtenta, in granis prostans parvis, subrotundis, quodammodo angulatis, albis, subrubris aut pullis, perduris, diaphanis, odoris ac saporis farinosi proprii, in aqua, vino et aceto solubilibus. Præstantiora sunt alba.

#### SALEP.

*Orchis Morio* L. ; *Orchis mascula* L. ; *Orchis militaris* L. (Gynandria Digynia L. ; fam. Orchideæ). Plantæ perennes Asiæ et Europæ.



Radix in tuberibus adfertur plerumque filo trajectis, ovato-oblongis, subglobosis, rarius palmatis, semipellucidis, ponderosis, e subfusco cinereis, Pisi minoris ad Nucis Juglandis magnitudine, odoris debilis sed proprii, saporis mucilaginosi. Rejiciantur pulla, cariota, levia aut rugosa.

SALIX, Cortex.

*Salix purpurea* L.; *Salix helix* L. (Diœcia Diandria L.; fam. Salicinea), arbores indigenæ.

Cortex e ramis biennibus ad summum triennibus primo vere colligendus, tenuis, nitidus, recens ex viridi flavidus vel rubellus, ab exsiccatione extus fuscus, intus pallide flavus, odoris proprii subbalsamici, saporis grate amari, balsamici et adstringentis.

SALVIA, Herba.

*Salvia officinalis* L. (Diandria Monogynia L.; fam. Labiatæ). Fruticulus apud nos hortensis, in Europa meridionali sponte crescens.

Folia in caule quadrangulo, villosa, ramosa, opposita, petiolata, ovato-lanceolata, acutiuscula, denticulata, rugosa, utrinque subvillosa, coloris ex glauco viridis, odoris fragrantis, balsamico-camphoracei, saporis amaricantis, aromatici.

SAMBUCUS, Flores, Baccæ, Cortex interior.

*Sambucus nigra* L. (Pentandria Trigynia L.; fam. Viburnæ). Arbor in Belgio frequentissima.

Flores Cymosi notissimi, tempestate sicca colligendi.

Fructus seu baccæ maturæ recentes, orbiculatæ, Pisi fere magnitudine, nitentes, violaceo-nigræ, umbilico stellato notatæ, uniloculares, in parenchymate acidulo subdulci, semina foventes minuta, ovata, subtrigona.

Cortex arboris interior seu medianus, tempore verno detrahendus, viridis, ab epidermide cinerea et libro albido liberandus.

SANGUIS DRACONIS, Resina.

*Calami Draconis* Willd. et *Calami Rotang* L. (Hexandria Monogynia L.; fam. Palmæ), arborum Indiæ orientalis, succus gummi-resinosus e cortice inciso exsudans et aëre induratus.

Hæc resina in baculis, in lacrymis vel ut plurimum in massis variae magnitudinis et foliis palmarum involutis adfertur. Genuina fragilis, obscure fusco-rubra, intus dilutior, fracturæ granulosa, nitentis, in frustis minoribus subpellucida, odoris expers, saporis adstringentis. Trita pul-

verem pulchre cinnabarinum præbet et prunis inspersa odorem styraceum spargit. In aqua insolubilis est, at in spiritu vini fere tota solvitur, solutione atro-sanguinea.

SANTALUM RUBRUM, Lignum.

*Pterocarpus santalinus?* Linn. Fil. (Diadelphia Decandria L.; fam. Papilionaceæ). Arbor Ceylonensis et Indiæ.

Lignum tinctorium ponderosum, durum, in frustis magnis longitudinaliter scissis adlatum, extus saturate fusco-rubrum, passim in colorem subviolaceum abiens, intus læte rubrum, inodorum, sed affricatum odorem subaromaticum levem præbens. Aqua frigida nihil fere, spiritus vini autem facile pigmentum rubrum extrahit.

SAPO ALBUS.

*Sapo Venetus.*

Sapo natricus albus, duriusculus, ex oleo Olivarum paratus. Servetur in loco sicco et frigido.

SAPONARIA, Radix, Herba.

*Saponaria officinalis* L. (Decandria Monogynia L.; fam. Caryophyllææ). Planta perennis, indigena.

Radix prælonga, repens, teres, calamus scriptorium, quin ultra crassa, geniculata, ramosa, sub epidermide rubescente flavescens, carnosa, odoris vix ullius, saporis ab initio subdulcis dein amaricantis et subacris.

Folia in caule erecto, ramoso, nodoso, et in ramis patentibus, pubescentibus, scabriusculis ad genicula opposita, subsessilia, ovato-lanceolata, glabra, integerrima, trinervia, inodora, saporis mucilaginosi, amaricantis.

SARSAPARILLA, Radix.

*Smilax sarsaparilla* L.; *Smilax officinalis* Kunth; *Smilax syphilitica* Humb. (Diœcia Hexandria L.; fam. Smilacææ). Suffrutices sarmentosi Americæ australis.

Radix (potius Rhyzoma) pollicaris, tuberoso-nodosa, ex qua prodeunt fibræ radicales prælongæ, fibrosæ, teretes, calamus scriptorium circiter crassæ, flexiles, subrugosæ, facillime juxta longitudinem discindendæ, sub epidermide griseo-brunea et cortice rubello, parenchyma album farinosum præbentes. Inodora est et saporis amylacei, submucilaginosi, dein amaricantis.



Plures in commercio Sarsaparillæ species prostant; harum præstantior Sarsaparilla de Honduras, cujus fibræ radicales longissimæ sunt.

Rejiciantur radices pallidæ, intus nigricantes, nimis porosæ vel cariosæ, fragiles, insipidæ vel mucidæ.

**SASSAFRAS, Lignum radiceis.**

*Laurus sassafras* L. (Enneandria Monogynia L.; fam. Laurinæ). Arbor Americæ borealis.

Lignum radiceis venale in frustis majoribus minoribusve adfertur, cortice crassiuseulo, rugoso, spongioso, rubiginoso, fragili ut plurimum vestitis, odoris fœniculacei et saporis subdulcis, aromatici.

Ipsum lignum leve est, suberosum, in stratis externis e griseo fuscescens vel rubescens, intus pallide luteum, odoris et saporis corticis, sed debilioris.

**SCABIOSA, Folia, Flores.**

*Scabiosa arvensis* L. (Tetrandria Monogynia L.; fam. Dipsacæ). Planta perennis, indigena.

Folia in caule erecto, ramoso, terete, hirsuto opposita, profunde pinnatifida, basi connata, subtus pilosa.

Flores terminales in capitulum plano-convexum aggregati, violaceo-rubelli, corollis tubulosis, inodori.

**SCAMMONIUM s. SCAMMONIA.**

*Convolvuli scammonia* L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Convolvulacæ), plantæ perennis Asiæ minoris, succus gummi-resinosus e radice sauciata stillans et aëre condensatus.

In frustis prostat variæ figuræ et magnitudinis, compactis, levibus, friabilibus, cinereis vel viridescens, in fractura subsplendentibus, intus passim nigricantibus, cum aqua lactescentibus, odoris debilis, ingrati, saporis primum mitis, dein nauseosi, aeris, urentis.

Rejiciatur Scammonium Smyrneum, ex frustis constans magis compactis, ponderosis, minus friabilibus, coloris obscurioris.

Hæc resina gummiifera in aqua partim, solutione virescente turbida, in spiritu vini partim solutione limpida, solvitur.

**SCILLA s. SQUILLA, Radix seu Bulbus.**

*Scilla maritima* L. (Hexandria Monogynia L.; fam. Liliacæ). Planta perennis, in oris maris Mediterranei sponte crescens.

Bulbus præmagnus, ovato-globosus, ponderosus, epidermide tenui, fusco-rubente, vestitus, ex squamis constans concentricis, imbricatis, adpressis, externis aridis lineatis, interioribus albis, striatis, hinc inde præcipue secundum nervos subrubentibus, in bulbo recente succo viscido, acri, peramaro turgentibus. Squamæ Scillæ exsiccatae, corneæ, subpellucidæ, nervoso-lineatæ, odoris debilis, saporis nauseosi, amari, subacris.

Servetur in vasis clausis.

#### SCORDIUM, Herba.

*Teucrium scordium* L. (Didynamia Gymnospermia) L.; fam. Labiatæ). Planta perennis, indigena, in locis udis crescens.

Herba, caule quadrangulo, erectiusculo, geniculato, pubescente, foliis oppositis, subsessilibus, ovato-oblongis, basi angustioribus, serrato-dentatis, subasperis, superne viridibus, subtus pubescentibus, odoris gravis, alliacei, saporis paris, amari.

#### SECALE CORNUTUM.

*Secalis cerealis* L. (Triandria Digynia L.; fam. Gramineæ), semina monstrosa.

Grana subcylindrico-trigona, obtusa vel apice attenuata, plerumque plus minus curvata, sæpe longitudinaliter rugosa, 2 ad 5 centim. longa, extus e violaceo-nigrescentia, intus albo-fuscescentia, farinosa, inodora, saporis debilis, nauseosi, amariusculi.

Secale cornutum in ipsis agris sereno cælo ante messem legendum, et in vitris siccis optime clausis non ultra annum servandum est.

#### SENNÆ, Folia.

*Cassia lanceolata* Forsk.; *Cassia Senna* Lam. (Decandria Monogynia L.; fam. Leguminosæ). Frutex Arabiæ et Nubiæ in India orientali cultus.

Folia lanceolato-ovalia, acuminata, basi inæqualia, 2 ad 5 centim. longa, 3 ad 7 millim. lata, nervosa, tactu molliuscula, e flavo viridia, odoris peculiaris nauseosi, saporis mucilagineo-amaricantis, subacris, ingrati.

Optima ex Alexandria et Tripoli adferuntur; quæ ex Aleppense et Italia proveniunt viliora; hæc latiora, tenuiora, minus acuminata, lætius viridia, vix amaricantia. Cave etiam ne foliis Cynanchi Arghel Delil., longioribus magis coriaceis, ex albo viridibus, utrinque pariter in acutum angustatis, parum venosis, nec non Coriariæ Myrtifoliæ, majoribus, crassioribus,



trinerviis, glabris, coriaceis, glaucis, inodori, saporis acris, adstringentis, immixta sint.

Legumina, vulgo Folliculi Sennæ, sunt capsulæ sive siliquæ seminales, semilunares, compressæ, continentes semina quatuor vel sex nigricantia.

#### SERPENTARIA, Radix.

*Aristolochia serpentaria* L. (*Gymnandria Hexandria* L.; fam. Aristolochiæ). Planta perennis Virginiae et Carolinae.

Radix fibrillis constans numerosis, intricatis, e capitulo communi brevi, præmorso emergentibus, 8 ad 10 centim. longis, filiformibus, fragilibus, epidermide e viridi fusca vestitis, intus albidis, odori fragrantis, camphoracei, saporis acris aromatici.

Ne confundatur cum radice *Spigeliae Marylandicae* L., quæ fibrillis tenuissimis, fuscis, fere inodori et sapore nauseoso amaro, distinguitur.

#### SERPYPILLUM, Herba florens.

*Thymus serpyllum* L. (*Didynamia Gymnospermia* L.; fam. Labiatæ). Planta perennis, indigena, in locis apricis obvia.

Folia ad caules repentes, basi subfrutescentes, pubescentes, ramosos opposita, parva, subsessilia, ovata, obtusa, glabra, basi ciliata. Flores in capitulis terminalibus vel lateralibus verticillato-dispositi, cum corollis roseis, calycibus paulo longioribus. Hujus plantæ odor fragrans, grate balsamicus, sapor aromaticus, acer.

#### SEBUM s. SEVUM OVILLUM.

*Sevum Vervecinum.*

Pinguedo e capsulis adipalibus renum et omenti *Ovis Arietis* eliquata.

Sit alba, solida, fere inodora, saporis mitis. Servetur in vasis clausis, loco frigido et sicco.

#### SIMARUBA, Cortex.

*Quassia simaruba* L.; *Simaruba officinalis* Dec. (*Decandria Monogynia* L.; fam. Simarubæ). Arbor in India occidentali et in Guajana præsertim crescens.

Cortex præcipue radicis, qui præstantior, in frustis adfertur longis, convolutis, tuberculatis et epidermide cinerea, rimulosa textis. Levis est, tenax, flexilis, fibrosus, intus lævis, coloris dilute flavi, odori nullius, saporis intense amari. Pars lignosa adhærens, ut iners rejiciatur.

SINAPIS ALBA, Semen.

*Sinapis alba* L. (Tetradynamia Siliquosa L.; fam. Cruciferae). Planta annua Europae meridionalis.

Semina minuta, globosa, flavescentia aut ex flavo albicantia, glabra, subnitentia, inodora, saporis oleosi, acris.

SINAPIS NIGRA, Semen.

*Sinapis nigra* L. (Tetradynamia Siliquosa L.; fam. Cruciferae). Planta annua in Belgio culta.

Semina parva, subrotunda, subcompressa, striata, extus nigrescentia, interne flava, inodora, trita autem et humectata, odoris acris nares ferientis. Horum seminum sapor subamarus, acer.

SPIGELIA, Herba cum Radice.

*Spigelia anthelmia* L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Loganiaceae Endl.). Planta Americae meridionalis annua.

Herba, radice tenui, fibrosa, caule erecto, subtereti, foliis ovato-acuminatis, subhirsutulis, integris, inferne caeruleo-viridibus, summis quaternis, fere inodoris, saporis fatui, subamari.

Saepius adhibetur *Spigelia Marylandica* L., priori minus praestantior, et dignoscenda caule tetragono, foliis omnibus oppositis.

SPINA CERVINA, Baccæ.

*Rhamnus catharticus* L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Rhamneae). Frutex in nemoribus Belgii frequens.

Baccæ maturæ subglobosæ, Pisi magnitudine, nigricantes, nitidæ, puncto elevato in apice notatæ, pulpam atroviridem et quatuor semina includentes, odoris ingrati, saporis ex amaro dulcis, subausteri, nauseosi.

Ne confundantur cum baccis *Rhamni frangulae* L., vel *Ligustri vulgaris* L., in quibus duo semina tantum adsunt.

SPIRÆA ULMARIA, Herba, Flores.

*Spiræa ulmaria* L. (Icosandria Pentagynia L.; fam. Rosaceae). Planta perennis, indigena, ad fossas et in pratis humidis crescens.

Folia in caule erecto, subanguloso, rubescente magna, interrupte pinatisecta, lobo terminali majore trilobato, supra glabra, subtus saepius tomentoso-nivea, raro nuda, saporis adstringentis. Flores albi vel rosei in cymum amplum terminalem dispositi, odoris fragrantis, suavis.



SPONGIA OFFICINALIS.

Zoophytum notissimum maris imprimis Mediterranei et maris Rubri.

Sit Spongia sublutescens, levis, mollis, elastica, foraminibus exiguis pertusa, et concrementis lapideis purgata.

SQUINA, Radix.

China.

*Smilax china* L. (Diœcia Hexandria L.; fam. Asparagineæ). Frutex scandens Asiæ orientalis, Chinæ et Japoniæ.

Radix geniculata, gibbosa, subcompressa, ponderosa, 12 ad 20 centim. longa, 5 ad 6 centim. crassa, sub cortice tenui, rufescente, parenchyma offerens albo-rubellum vel fuscescens, structuræ plus minusve porosæ. Odoris est quasi nullius, saporis farinacei, subdulcis.

STANNUM.

Metallum notissimum. Præstat Malaccense.

Stannum cum acido nitrico 56° celeriter in acidum metastannicum insolubile vertitur. Liquor acido metastannico innatans defusus et aqua destillata dilutus, ne præcipitatum edat album ex affuso sulphate sodæ, nec ex addita ammonia liquida ultra gradum saturationis colorem cœruleum assumat. Arsenicum hunc liquorem inquinans apparatu Marshiano facile detegitur.

STAPHYSAGRIA, Semen.

*Delphinium staphysagria* L.; *Delphinium officinale* Wend. (Polyandria Trigynia L.; fam. Ranunculaceæ). Planta biennis Europæ meridionalis.

Semina grisea aut pallide fusca, trigona vel tetragona, lentis majoris circiter magnitudine, incurva, compressa, hinc convexa, inde plana, cum sutura prominula, nucleum oleosum, albo-luteum includentia, odoris ingrati, saporis admodum nauseosi, amari, acris.

STRAMONIUM, Folia, Semen.

*Datura stramonium* L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Solanæ). Planta annua, indigena.

Folia in caule erecto, dichotomo, tereti, glabro, lucidiusculo magna, petiolata, ovata, acuminata, sinuato-dentata, supra saturate viridia, odoris nauseosi, narcotici, saporis summe ingrati et nauseosi.

Semina in capsulis ovoideis, aculeatis, quadrivalvis insidentia, nigra, reniformia, subrugosa, inodora, saporis nauseoso-amariusculi, subacris.

Folia æque ac semina in vasis clausis caute servantur.

STYRAX LIQUIDUS.

*Liquidambaris styracifluæ* L. (Monœcia Polyandria L.; fam. Balsamiferæ Endl.), arboris Americæ borealis, succus e trunco elicitus.

Balsamum nativum spissum, Terebinthinæ communis consistentiæ, e viridi fuscum, opacum, odoris grati ad Benzoen accedentis, saporis aromatici, subacris. In spiritu vini fervido fere omnino solvitur.

STYRAX SOLIDUS.

*Storax. Styrax calamita.*

*Styracis officinalis* L. (Decandria Monogynia L.; fam. Styracæ Endl.), arboris Orientis et Europæ australis, resina ex cortice inciso stillans et aëre indurescens.

Prostat in glebis seu frustulis mole variis, compactis, badio-rufis, opacis, granulosis, micantibus, inter digitos mollescentibus, odoris grati benzoini, saporis dulciusculi, resinosi, pungentis.

SUCCINUM.

Bitumen ad littora maris Baltici natans et præsertim in Borussia collectum.

Frustula obtusa, angulosa, sæpius rotunda, coloris lætius profundiusve flavi, ut plurimum pellucida, nitentia, fragilia, fracturæ conchoideæ, prunis imposita odorem gratum, peculiarem spargens. Pond. specif. 1,078.

Succinum destillatione acidum succinicum amittit.

SULPHAS BARYTÆ NATIVUS.

SULPHAS BARYTICUS.

*Baryta sulphurica. Spathum ponderosum.*

$BaO, SO^5$ .

Lapis mineralis in frustis albis, lamellosis, ponderis specifici 4,47, in aqua nec non in acidis insolubilis. Eligantur frusta a sulphate calcis et ferro oxydato aliisque metallis libera.

SULPHAS CADMI.

SULPHAS CADMICUS.

*Cadmium sulphuricum.*

$CdO, SO^5 + 7HO$ .

Prismata exhibet decolora saporis stiptici, metallici, in aëre fatiscientia. Solutio hujus salis aquosa, acido sulphurico acidulata, acidi sulpho-




hydrici ope, penitus cum colore pulchre luteo præcipitatur. Sedimentum album, liquore ammoniæ ortum, ammonia ultra punctum saturationis affusa, solvitur.

#### SULPHAS CUPRI VENALIS.

SULPHAS CUPRICUS.

*Cuprum sulphuricum. Vitriolum cupri. Vitriolum cæruleum.*



Sal in crystallis cœruleis diaphanis, demum fatiscens, in aquæ frigidæ quatuor partibus, at non in spiritu vini, solubilis.


Sit zinco et præsertim ferro sulphurico non nimis inquinatus.

#### SULPHAS MAGNESIÆ.

SULPHAS MAGNESICUS.

*Magnesia sulphurica. Sal anglicanum s. Ebshamense.*

*Sal amarum s. Sedlitsense.*



Sal in crystallis parvis, prismaticis, splendentibus, albis, saporis e salso sat amari, refrigerantis.

Sulphas magnesiæ purus aëre vix fatiscit. Solutio aquosa valde diluta, solutione carbonatis sodæ facillime turbetur, sedimento in liquore chlorhydratis ammoniæ solubili. Nec acido oxalico, nec ferro-cyanureto potassii soluto præcipitetur. Solutione in aqua calida ac crystallisatione depurandus est.

Si cum sulphate sodæ adulteratus invenitur, solutio salis vitati cum pulvere carbonatis barytæ vel calcis excedente agitata, liquorem præbet carbonatis sodæ præsentia alcalinum, Curcumam tingentem.

#### SULPHUR VENALE.

Hujus substantiæ characteres externi notissimi.

Sulphur in baculis. Sit pulchre citrinum et igni admotum sine residuo comburatur.

Flores Sulphuris. Referant pulverem siccum, subtilissimum, coloris supra dieti. Pro inquisitionibus vide Sulphur depuratum.

#### SULPHURETUM ANTIMONII NIGRUM.

SULPHIDUM STIBIOSUM.

*Acidum sulpho-stibiosum. Antimonium s. Stibium sulphuratum nigrum.*

*Antimonium crudum.*



Massam præbet crystallis metallici splendoris, acicularibus, nigro-

griseis, radiatim aut in fasciulos dispositis, compositam. Carboni ardenti inspersum, acidum sulphurosum emittit; si vero odorem alliaceum spargit, arsenicum continet.

Arsenico, cupro, plumbo ac ferro sæpius inficitur; quæ inquinaciones facile deteguntur si, caloris ope, in acido chlorhydrico liquido excedente solvitur; quo in casu arsenici sulphuretum insolutum remanet. Cætera metalla in solutione reagentibus propriis deteguntur postquam antimonium majori ex parte, addita magna aquæ copia, præcipitatum sit.

### SULPHURETUM ARSENICI FLAVUM.

#### SULPHIDUM ARSENIOSUM.

*Acidum sulpharseniosum. Sesquisulphuretum arsenici. Arsenicum sulphuratum citrinum. Auripigmentum.*



Massam efficit amorpham, citrinam, partim aurantiacam nitidam, odore et sapore carentem. Calore avolat; liquore potassæ et ammoniæ causticæ solvitur. Flammæ tubi fermentarii expositum, odorem Allii et acidi sulphurosi spargit.

Sulphuretum arseniosum artificiale arsenico albo semper inquinatur, unde vis magis venenosa, quam quæ arsenico sulphurato nativo competit.

### SULPHURETUM ARSENICI RUBRUM.

#### SULPHIDUM HYPO-ARSENIOSUM.

*Sulphuretum subarseniosum. Protosulphuretum arsenici. Acidum hyposulpharseniosum. Realgar.*



Adfertur in massis amorphis, aurantiaco aut fusco-rubris, nitentibus, inodoris ac insipidis. In cæteris characteribus arsenico sulphurato luteo convenit.

### SULPHURETUM HYDRARGYRI RUBRUM.

#### SULPHURETUM HYDRARGYRICUM.

*Cinnabaris.*



Massa obscure rubra, texturæ fibrosæ, pulverem rubro-coccineum præbens, igne tota volatilis.

Ne sulphureto arsenici, minio aut oxydo ferri rubro adulteratum sit.



TAMARINDI, Fructus.

*Tamarindus indica* L. (Monadelphia Triandria L.; fam. Cæsalpineæ). Arbor Asiæ occidentalis, Ægypti et Indiæ orientalis.

Pulpa leguminum e fusco nigricans, fibris lignosis ac seminibus subrotundis, compressis, duris, spadiceis, splendidis permixta, saporis acidi vinosi grati. Eligatur recens, tenax, spissa, saporis acrioris cum seminibus splendidibus. Semina e pulpa sub usu separanda sunt.

Cave ne pulpa Tamarindorum cupro sit inquinata, quod, notissimo modo, in solutione aquosa, lamina ferrea lucida facile dignoscitur.

TANACETUM, Herba, Flores.

*Tanacetum vulgare* L. (Syngenesia Polygamia superflua, L.; fam. Compositæ). Planta perennis, indigena, ad agros et ad fossas frequens.

Folia in caule erecto, tereti, striato, ramoso bipinnata, pinnis oblongis, incis, serratis, læte viridibus, in superiori superficie punctatis, glabris, odoris fortis balsamici, subcamphoracei, saporis amari, aromatici.

Flores in corymbum terminalem congesti, compositi, semi-globosi, aurei, flosculis disci tubulosis quinquefidis, radii trifidis, odoris foliorum minus ingrati, saporis paris, magis aromatici.

TARAXACUM, Herba, Radix.

*Leontodon taraxacum* L.; *Taraxacum dens-leonis* Desf. (Syngenesia Polygamia æqualis L.; fam. Compositæ). Planta perennis in pratis et ad vias apud nos vulgaris.

Herba foliis radicalibus, in orbem congestis, elongatis, runcinatis, glabris, lobis acutis et dentatis, saporis herbacei, amari.

Radix, e plantis annosioribus colligenda, cylindrico-fusififormis, superne digitum crassa, elongata, sæpe multiceps, radicellis undique obsessa, recens extus e flavo fusca, intus alba, carnosa, lactescens, odoris fere nullius, saporis e dulci amaricantis.

BI-TARTRAS POTASSÆ.

BI-TARTRAS KALICUS.

*Cremor tartari.*

$\text{KO,HO,C}^8\text{H}^4\text{O}^{10}$ .

Occurrit plerumque in crystallis imperfecte formati, duris, fragilibus, albis, saporis acerbo-acidi. Cave ne cupro sit inquinatum.

TILIA, Flores cum bracteis.

*Tilia Europæa* L. (Polyandria Monogynia L.; fam. Tiliaceæ). Arbor indigena.

Flores, bracteæ solitariæ sublanceolatæ inhærentes, parvi, ex albedo viridescentes, pentapetali, recentes odoris suavis, leniter aromatici, siccati prope inodori, saporis debilis, submucilaginosi. Colligantur una cum bracteis et in vitris clausis servantur.

THYMUS, Herba florens.

*Thymus vulgaris* L. (Didynamia Gymnospermia L.; fam. Labiatæ). Planta perennis subfrutescens Europæ meridionalis, in hortis apud nos culta.

Folia in caule erecto, ramoso, tenui, fere cylindrico opposita, exigua, brevissime petiolata, ovato-oblonga, margine revoluta, glabra, subtus albedo-grisea, utrinque punctata, floribus verticillatis, spicatis, albis aut ex albedo purpureis, saporis odorisque aromatici, balsamici, grati.

TIGLIUM, Semen, Oleum.

*Croton tiglium* L. (Monœcia polyandria L.; fam. Euphorbiaceæ). Frutex Indiæ orientalis, inprimis Malabariæ, insularum Moluccarum et Javæ.

Semina ovoidea, uno latere magis convexa, lævia, sub cortice fragili nucleum pingue, griseo-flavescens, bipartibile includentia, saporis acerrimi, caustici, nauseosi, faucibus diu adhærentis.

Oleum e seminibus decorticatis et expressione in India orientali paratum, pingue, flavescens vel fuscum, sapore acerrimo.

TORMENTILLA, Radix.

*Tormentilla erecta* L.; *Potentilla tormentilla* Schrank. (Icosandria Monogynia L.; fam. Rosaceæ). Planta perennis in Europæ borealis et temperatæ locis aridis crescens.

Radix teres, superne 2 ad 5 centim. crassa, 6 circiter centim. longa, tuberosa, nodosa, fibris copiosis, longis, rigidis obsessa, externe rubrofusca, interne ex brunneo rubra vel rubella, solida, cellulosa, inodora, saporis valde adstringentis.

TRIFOLIUM FIBRINUM, Herba.

*Menyanthes trifoliata* L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Gentianæ). Planta paludosa, perennis, indigena.



Herba, caule repente, articulato, ramoso, foliis alternis, longe petiolatis, basi vaginantibus, ternatis, foliolis ovatis, glabris, obtusis, margine undulatis, læte viridibus, odoris fere nullius, saporis peramari.

TUTIA s. TUTHIA.

*Oxydum zinci cinereum.*

In crustis prostat concavis vel convolutis, fusco-cinereis, fragilibus, insipidis ac inodoris.

UVA URSI, Folia.

*Arbutus uva Ursi* L.; *Arctostaphylos uva Ursi* Kunth. (Decandria Monogynia L.; fam. Ericinæ). Frutex in locis arenosis Germaniæ et Europeæ borealis crescens.

Folia parva, obovata, breve petiolata, duriuscula, basi angustiora, integerrima, glabra, ut plurimum margine subrevoluta, supra saturate viridia, subtus pallidiora et venuloso-subrugosa, odoris debilis, saporis amari, adstringentis.

Ne confundantur cum foliis Vaccinii vitis Ideæ, margine parum revolutis et pagina inferiore punctis fuscis aut nigricantibus, notatis.

VALERIANA, Radix.

*Valeriana officinalis* L. (Triandria Monogynia L.; fam. Valerianæ). Planta perennis, indigena.

Radix (Rhizoma) parva, brevis, subrotunda vel oblonga, tuberculata, undique radicellis obsita capillari-fibrillosis, tenacibus, extus e fusco cinereis, intus albidis, subcarnosis, odoris graveolentis, subnauseosi, saporis acris, amari. Colligenda est in locis montosis siccis, et siccata in vasis clausis servetur.

VANILLA, Fructus.

*Epidendron vanilla* L.; *Vanilla aromatica* Schw. (Gynandria Monogynia L.; fam. Orchideæ). Planta parasitica scandens America meridionalis, præcipue in Mexico culta.

Capsulæ siliquiformes, 18 ad 20 centim. longæ, calami scriptorii majoris crassæ, lineares, versus pedunculum et apicem attenuatæ, longitudinaliter flexuoso-striatæ et sulcatæ, tactu pingues, splendoris oleosi, coloris ex atro fusci, intus pulpam pinguem, rufescentem ac semina minima, subrotunda, nigra, splendida, continentes, odoris fragrantissimi, benzoïni, saporis grate aromatici.

Eligendæ sunt siliquæ crassiusculæ, pingues, crystallulis acicularibus inspersæ, fragrantissimæ. Rejiciantur mucidæ aut saporis acidi.

Serventur in vitris obturatis.

VERBASCUM, Folia, Flores.

*Verbascum thapsus* L.; *Verbascum thapsiforme* Schrad. (Pentandria Monogynia L.; fam. Scrophularinæ). Planta biennis, indigena, in locis incultis frequens.

Herba, caule simplici, erecto, lanuginoso, foliis alternis, decurrentibus, magnis, ovato-lanceolatis, obsolete dentatis, mollibus, ex griseo viridibus, utrinque tomentosis, inferioribus petiolatis, saporis mucilaginosi.

Flores, racemum magnum, terminalem, plus minus densum formantes, corollis rotatis, monophyllis, quinquefidis, luteis, odoris rosacei debilis, saporis mucilaginosi, visciduli. Colligantur cælo sereno et siccati servantur in vasis clausis.

VERONICA BECCABUNGA, Herba recens.

*Veronica beccabunga* L. (Diandria Monogynia L.; fam. Scrophularinæ). Planta perennis, indigena, ad fossas et in locis udis obvia.

Herba in caule herbaceo, terete, ramoso, procumbente, folia præbens opposita, plana, oblongo-ovata, obtuse crenata, glabra, nitentia, carnosa, mollia; flores spicati, racemosi, pedicellati, violacei. Tota planta vix odorata, saporis amaricantis, adstringentis.

VERONICA OFFICINALIS, Herba florens.

*Veronica officinalis* L. (Diandria Monogynia L.; fam. Scrophularinæ). Planta perennis, indigena, ad vias et in pascuis frequens.

Herba, caule tereti, subsimplici, geniculato, pubescente, inferne nonnunquam radicante; foliis ad genicula oppositis, ovatis, obtusis, basi attenuatis, serratis, mollibus, pubescentibus, dilute viridibus; floribus spicatis, pedunculatis, corolla rotata, cærulea, interdum rutila aut albida, venis obscurioribus percursa. Planta recens odoris balsamici debilis, saporis amaricantis, subadstringentis.

VIOLA ODORATA, Flores.

*Viola odorata* L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Violariæ). Planta perennis silvatica, in hortis frequenter culta.

Flores in pedunculis radicalibus obovati, corollis quinquepetalis, irregularibus, petalis intense cæruleis, odoris proprii, gratissimi, saporis mucilaginei, subamaricantis.

Colligantur ineunte vere et siccati in vasis clausis, loco obscuro, servantur.



VIOLA TRICOLOR, Herba florens.

*Viola tricolor* L. (Pentandria Monogynia L.; fam. Violariæ). Planta annua et biennis in arvis et in hortis crescens.

Folia in caule triquetro diffuso, petiolata, ovato-oblonga, obtusa, inciso-crenata, stipulis laciniatis. Flores quinquepetali, corolla e violaceo, albo flavoque tricolore. Tota planta odoris herbacei, saporis mucilaginosi, subamari.

VISCUS s. VISCUM ALBUM.

*Viscum Quercinum.*

*Viscum album* L. (Diœcia Tetrandria L.; fam. Loranthæ). Fruticulus sempervirens parasiticus Fagi, Quercus aliarumque arborum.

Caulis e basi ramosus, dichotomus, ramulis articulatis, subnodosis, epidermide e viridi flavescente, una cum foliis oppositis, sessilibus, oblongis, obtusis, integerrimis, carnosis, nitidis, odoris debilis proprii, saporis glutinosi, fatui, subamaricantis. Flores terminales, sessiles, subterni ex flavo viridescentes.

Folia ante anthesin colligenda, in vitro clauso servantur.

WINTERA, Cortex.

*Wintera aromatica* Murr.; *Drymis Winteri* Forst. (Polyandria Polygynia L.; fam. Magnoliaceæ). Arbor freti Magellanici et insularum vicinarum.

Cortex in frustis advectus convolutis, tubulosus, 14 ad 18 centim. longis valde crassis, compactis, duris, extus cinereis vel e rubro cinereis, tum glabris, tum rugosis, intus fibrosis, coloris cinnamomei vel nigricantis, odoris, sub tritu, grati, caryophyllacei, saporis aromatici, urentis, diu linguæ adhærentis.

Cortex Winteranus a cortice Canellæ albæ sua forma ac odore minus aromatico et amaro, satis discernitur.

ZEDOARIA, Radix.

*Curcuma Zedoaria* Rose.; *Amomum Zerumbet* Roxb. (Monandria Monogynia L.; fam. Scitamineæ). Planta perennis Indiæ orientalis.

Radix adlata jam in tuberibus subglobosis vel segmentis hemisphæricis, jam in frustis oblongis aut disciformibus, 3 ad 6 centim. longis, hinc planis, inde convexis, rugosis; ponderosa, extus dilute fusca, intus ex flavo rubella, cum punctis resinosis, odoris fragrantis, subcamphoracei, saporis acris, amaricantis.

ZINCUM.

Metallum ex albedo cærulescens, subtenax, fracturæ lamellosæ. Ignitum

sub aëris accessu flammam lucidissimam pallide virescentem concipit et in oxydum album mutatur, partim sub floccorum niveorum forma avolans.

Zincum purum in acido nitrico diluto penitus solvitur. Hæc solutio, ex affuso carbonate sodæ liquido, præcipitatum edat album; ne vero liquore ammonii caustici cærulescat, neve sedimentum ex addito sulphate sodæ deponat. Arsenicum Zincum inquinans methodo Marshiana facile detegitur.

ZINGIBER, Radix.

*Zingiber officinale* Rose.; *Amomum zingiber* L. (Monandria Monogynia L.; fam. Scitamineæ). Planta Indiæ orientalis et Africae occidentalis.

Radix venalis, epidermide resecta, in segmentis prostat 4 ad 5 centim. longis, complanatis, ponderosis, tuberoso-nodosis, extus flavescentibus vel pallide cinereis, intus ex rubro aut albido flavis, odoris grate camphoracei, saporis aromatici, fervidi.

COUSSO s. KOUSSO, Flores.

*Brayera anthelmintica* Kunth.; *Hagenia Abyssinica* Lam. (Dodecandria Monogynia L.; fam. Rosaceæ) Arbor Abyssiniæ, *Coussou* seu *Cabotz* vel *Cotz* dictus.

Planta dioica; floribus paniculatis; pedunculis villosis, bracteatis; bracteolis subrotundis, villosis, flori approximatis, calycis tubo villosa, limbo pentaphyllo, membranaceo, lutescenti, corolla minore purpurea.

Flores siccati sunt coloris luteo-cinerei, odoris debilis, odorem Sambuci referentis, saporis amari, tactu subpingues.

Calore non siccentur quum rediguntur in pulverem.

MATRICARIA, Herba.

*Matricaria Parthenium* L.; *Pyrethrum Parthenium* Dec. (Syngenesia Polygamia superflua L. fam. Compositæ). Planta perennis Germaniæ, in hortis sæpe culta.

Herba subflorida, glabra, foliis petiolatis, compositis, planis, foliolis ovatis, incisis, floribus radiatis, albis, corymbosis.










## PARS SECUNDA.

### PRÆPARATA PHARMACEUTICA.

#### ACETAS AMMONIÆ LIQUIDUS.

##### ACETAS AMMONICUS.

*Ammonium aceticum liquidum. Spiritus s. liquor Mindereri.*



R. Acidi acetici diluti quantum libet.

Carbonatis ammoniæ concreti quantum satis.


Acido calefacto in vase vitreo adde per vices carbonatē ammoniæ ad perfectam saturationem. Dein aqua destillata, si opus est, addatur ut densitas liquoris refrigerati sit 1,029 (4°). Serva in lagena vitrea bene clausa.

Liquor neuter, coloris expers, limpidus, ex toto volatilis, saporis subpungentis salini. Liguorem rejice empyreumaticum, odore ac sapore dignoscendum. Nec nitrate argenti, nec acido sulpho-hydrico, nec chlorureto baryi, nec oxalate ammoniæ precipitetur.

#### ACETAS CUPRI.

##### ACETAS CUPRICUS.

*Cuprum aceticum. Viride aeris crystallisatum.*



R. Subacetatis cupri quantum libet.

Acidi acetici diluti quantum satis.


Solve viride aeris in acido acetico diluto et calefacto, ac evaporatione debita secerne in crystallos ex solutione colata.

Crystalli prismaticæ, e cæruleo virides, saporis acerbi metallici, in aëre sensim fatiscentes, in aquæ frigidæ ac in alcoholis fervidi partibus quatuordecim, nec non in aquæ bullientis partibus quinque solubiles; cupri et acidi acetici reactiones ostendunt. Cautè serventur.

ACETAS PROTOXYDI HYDRARGYRI.

ACETAS HYDRARGYROSUS.

*Hydrargyrum aceticum. Mercurius acetatus s. aceticus.*



R. Protonitratis hydrargyri crystallisati. . . . .	part. 8
Acidi nitrici puri 53°. . . . .	» 4
Aquæ destillatæ. . . . .	» 40
Acetatis sodæ crystallisati. . . . .	» 44


Nitrati hydrargyri in pulverem redacto adde acidum nitricum ac dein aquam, usque dum solutio plane clara fiat. Solvatur quoque acetas sodæ in aquæ parva quantitate. Huic solutioni per vices infunde solutionem hydrargyrosam quoad præcipitatum album efficiatur, sedulo cavens ne sal hydrargyrosus in mixtione excedat. Sedimentum, subinde agitatam, stet per aliquot horas; tunc in filtro colligatur, aqua destillata frigida abluitur et charta bibula involutum exsiccat a calore et a luce seclusum. Siccatum servetur in loco obscuro vel in vase luci impervio.

Sal albus splendoris sericeus, ex toto volatilis, in acido acético diluto maxime solubilis, in aqua frigida autem fere insolubilis. Lumini expositus nigrescit et decomponitur. Acido sulphurico affuso vapores acidi acetici exhalat. Constat ex protoxydi hydrargyri partibus 80,56 et 19,64 partibus acidi acetici.

ACETAS MORPHINÆ.

ACETAS MORPHICUS.

*Morphium aceticum.*



R. Morphinæ puræ. . . . .	part. 2
Acidi acetici concentrati. . . . .	» 4
Aquæ destillatæ. . . . .	» 4

Calefiant in patina porcellanea vaporibus aquæ bullientis exposita, donec morphina soluta sit, reactione acida tamen in liquore salino prævalente. Filtrata solutio ad consistentiam syrupi igne leni evaporetur. Liqueorem dein ad calorem 60° refrigeratum, cum spatula argentea vel vitrea agita ad perfectam siccitatem usque; massa sicca et adhuc calida leviter trituretur donec in pulverem tenuissimum redacta sit, dein in lagenam vitream siccitatem bene obturandam ingeratur.

Est pulvis albus, saporis peramari, odoris acetici, aqua ex toto solubilis; in spiritu vini quoque solvitur. Reactiones exhibet morphinæ et acidi acetici. Sit a narcotina liber; quo in casu, solutione potassæ causticæ calefacta penitus solvitur.




Præparatum, caloris majoris actione acido acetico ex parte privatum, in aqua non ex toto solubile est; sed acido acetico admixto, solutione et evaporatione iterata, corrigitur.

ACETAS PLUMBI DEPURATUS.

ACETAS PLUMBICUS.

*Plumbum aceticum. Sal Saturni.*



- R. Acetatis plumbi venalis. . . . . part. 10
- Aquæ destillatæ. . . . . " 20
- Acidi acetici diluti. . . . . " 4

Solve calide, liquorem filtra et in crystallos redige, quæ siccata in vase bene clauso servantur.


Crystalli albæ, pellucidæ, saporis dulcis, subacerbi, in aquæ frigida nec non in alcoholis (90° C.) duabus partibus plane solubiles. Solutio salis aquosa, post plenariam plumbi præcipitationem ope aquæ hydrosulphuratæ aut acidi sulphurici diluti, filtrata, nec carbonate potassæ præcipitetur, nec residuum quoddam evaporatione relinquat.

Acetas plumbi aëri expositus, acido carbonico reagente, acidum aceticum sensim exhalat tuncque plus minus insolubilis fit.

SUB-ACETAS PLUMBI LIQUIDUS.

ACETAS TRIPLUMBICUS SOLUTUS.

*Acetum Saturninum. Liquor plumbi subacetici. Liquor plumbi hydrico-acetici. Extractum Saturni.*



- R. Acetatis plumbi depurati. . . . . part. 2
- Protoxydi plumbi subtilissime pulverati. . . . . " 1
- Aquæ destillatæ. . . . . " 7


Acetati et protoxydo plumbi, triturationis ope intime mixtis et in lagenam vitream immissis, aquam affunde. Tunc, vase obturato, sepone interdum movendo. Quum pulveris color ruber evanuerit, filtra et serva in lagenis bene clausis.

Sit incolor, limpidus, ponderis specifici 1,24 (28°). Chartæ Lacmi acido rube factæ caeruleum colorem reddat. Oxydo plumbi, ope sulphatis sodæ, præcipitato, liquor filtratus, affusa ammonia liquida, colorem caeruleum nec induat, nec cyanureto potassico præcipitatum fuscum demittat.

ACETAS POTASSÆ.

ACETAS KALICUS.

*Terra foliata tartari s. vegetabilis. Kali aceticum.*



R. Acidi acetici diluti quantum libet.

Carbonatis potassæ depurati quantum satis.


Acido acetico in balneo vaporis calefacto carbonas potassæ addatur, donec acidum fere neutrum sit. Tunc liquor filtretur et in vase argenteo seu porcellaneo, igne leni, sub continua agitatione ad siccitatem usque evaporetur. Massa salina sicca et adhuc calida in lagenam vitream calefactam probe claudendam ingeratur.

Pulvis albus, levis, in aëre humido deliquescens, in aquæ partibus duabus et in alcohole solubilis. Sit alcalinæ reactionis immunis et odoris empyreumatici expers. Aqua solutus nec acido sulpho-hydrico nigrescat, nec chlorureto barytico, nec solutione diluta nitratis argentei deiciatur.

ACETAS SODÆ.

ACETAS NATRICUS.

*Natrum aceticum. Terra foliata mineralis.*



R. Acidi acetici diluti quantum libet.


Carbonatis sodæ quantum satis.

Carbonatem sodæ in acido acetico calefacto ad saturationem usque gradatim solve. Liquor colatus in vase stanneo vel porcellaneo evaporetur ad pelliculam, et seponatur ut fiant crystalli, quæ siccatae in vase clauso servantur.

Salis partes centum aquæ crystallisationis partes 59,49 continent.

Crystalli sunt decolores, prismaticæ, tribus aquæ frigidae partibus et viginti quatuor alcoholis solubiles. Aqua solutæ, nec acido sulpho-hydrico, nec solutione concentrata acidi tartarici sedimentum edant.

ACETAS SODÆ ANHYDRUS.



R. Acetatis sodæ puri quantum libet.

Sal, in vase aperto, lato et depresso, igne leni, ne calore majori decomponatur, et semper agitando, calefiat, donec aquam demiserit. Servetur in vase vitreo sicco et bene clauso.


Pulvis albus, neuter, absque ulla forma crystallina.



ACETAS STRYCHNINÆ.

ACETAS STRYCHNICUS.

*Strychnium aceticum.*



R. Strychninæ quantum libet,  
Acidi acetici diluti quantum satis.


Strychnina acido paululum excedente saturetur, et liquor leni calore ad siccum evaporetur.

Sal albus, amarissimus, reactiones strychnii et acidi acetici exhibens, in aqua facillime solubilis.

ACETAS ZINCI.

ACETAS ZINCICUS.

*Zincum aceticum.*



R. Oxydi zinci,  
Acidi acetici concentrati,  
Aquæ destillatæ, singulorum partes æquales.

Oxydum zinci in acido aqua mixto solve, donec charta cærulea liquori immersa non amplius rubescat, curans ut excedat oxydum. Liquorem filtra et calore concentratum ad crystallisandum sepone.

Crystalli albæ, lamellosæ, saporis styptici, in aëre immutabiles; aqua maxime solubiles. Solutæ autem, aqua hydrosulphurata sicut et ferro-cyanureto potassii nonnisi præcipitatum album gignant.

ACETUM AROMATICUM.

*Loco Aceti antiseptici.*

R. Acidi acetici diluti. . . . .	part. 839
— — concentrati. . . . .	100
Aquæ Coloniensis. . . . .	40
Camphoræ. . . . .	4
	1000

Camphoram solve in aqua Coloniensi et misce cum acidis, sæpius agitando.

ACETUM CAMPHORÆ.

R. Camphoræ . . . . .	part.	12
Gummi arabici . . . . .	"	25
Acidi acetici diluti . . . . .	"	965
		<hr/>
		1000

Tere camphoram cum gummi et aliquantulum alcoholis, tunc paulatim adde acetum sub continua agitatione.

Paretur ex tempore.

ACETUM SCILLÆ.

*Acetum squilliticum s. squillinum.*

R. Radicis Scillæ minutim scissæ. . . . .	part.	85
Alcoholis 25° (84° C.) . . . . .	"	85
Acidi acetici diluti quantum sufficit.		

Scilla cum alcohole et parte æquali acidi acetici in apparatu depulso-rio per triduum maceretur, dein addito per vices acido acetico, lixiviatione exhaustur, ut obtineantur aceti scillæ limpidi partes 1000.

Eodem modo parentur :

ACETUM Colchici cum bulbis siccatis.

— Digitalis cum foliis.


ACIDUM ACETICUM AROMATICUM.

R. Acidi acetici concentrati . . . . .	part.	720
Olei volatilii Caryophyllorum . . . . .	"	90
— — Lavandulæ . . . . .	"	60
— — Citri . . . . .	"	60
— — Bergamottæ . . . . .	"	50
— — Thymi . . . . .	"	50
— — Cinnamomi . . . . .	"	40
		<hr/>
		1000

Misce in vase probe clauso, sæpius agitando, et post aliquot dies filtra.

ACIDUM ACETICUM CONCENTRATUM.

*Acetum radicale. Acetum glaciale.*



R Acetatis sodæ anhydri et pulverati . . . . .	part.	4
Acidi sulphurici 66°. . . . .	"	4



Acetatem sodæ immitte in retortam vitream sat amplam ut quarta tantum pars sale impleatur, et applicato excipulo idoneo juncturisque probe clausis, adde repetitis vicibus acidum sulphuricum concentratum. Omni acido immisso ac excipulo bene refrigerato, fiat destillatio leni primum, dein aucto igne, donec guttæ ad caudam retortæ cessent massaque tota liquefacta sit. Quo facto, retortam caute ab igne remove, et sal fusum emitte antequam refrigeratione concresecat.

Si destillatum acido sulphuroso vel sulphurico inquinatur aut empyreuma redolet, cum decima circiter parte acetatis sodæ siccati et mangani oxydati pulverati, pari pondere mixtorum, rectificetur post præviam macerationem per aliquot horas. Servetur in vase bene obturato.

Sit limpidum, odoris penetrantis, nec empyreumatici, nec sulphurosi (quod dilutione acidi cum aqua dignoscitur), ponderis specifici 1,065 (9°). Liquore nitratis barytæ et aqua hydrosulphurata ne turbetur. Acidum chlorhydricum, si immixtum, ope nitratis argenti, in acido diluti, præcipitato albo in acido nitrico insolubili detegitur. Tres carbonatis sodæ anhydri partes quatuor acidi acetici partibus saturantur.

#### ACIDUM ACETICUM DILUTUM.

*Acetum destillatum.*

R. Aceti bonæ notæ quantum velis.

Destilla leni igne e retorta vitrea; liquorem prius prodeuntem separa, ac sequentem, quamdiu ab empyreumate liber ac incolor prostat, collige. Destillatum sit ponderis specifici 1,012, et tantæ aciditatis ut viginti partes una carbonatis sodæ anhydri parte saturantur. In vitro bene obturato conserva.

Sit hyalinum, ab empyreumate, acido sulphurico et sulphuroso liberum, calore ex toto avolans. Alcoholis fortioris pari volumine dilutum ne turbetur.

NOTA. Acidum aceticum dilutum parari quoque potest cum acidi acetici concentrati parte 1 in aquæ destillatæ partibus 14 diluta.

#### ACIDUM BENZOICUM MEDICINALE.

*Flores Benzoes. Sal essentielle Benzoes.*

R. Benzoes pulveratæ quantum velis.

Inspargatur æquabiliter in fundo plano ollæ vel sartaginis figulinæ haud profundæ. Supra sartaginis orificium chartam bibulam laxioris texturæ expande ita ut ejus margines sartagini mucilaginis ope agglutinentur. Tunc superimponere conum elongatum e charta densa confectum, in spice foramine parvulo pertusum, et ad sartaginis parietes probe alligandum. Sartaginem tali modo instructam in balneum arenæ impone et per quatuor

ad sex horas igni leni (120°—130° C.) exponatur. Post refrigerationem, collige crystallos quæ servantur in vase bene clauso.

Sint crystalli albæ, subpellucidæ, splendoris sericei, aciculares vel floccosæ, odoris grati benzoini, saporis dulciusculi dein acidulo-acris, pungentis; in aqua frigida parum, in fervida autem valde, ut in alcohole, solubiles. Igni expositæ plane in auras avolent, nec carbonem residuum relinquunt.

Ex 100 partibus Benzoes, partes 4 acidi benzoici extrahi possunt.

NOTA. Minori copia (200—400 gramm.) semper adhibeatur Benzoe ne, calore diutius protracto, acidum benzoicum empyreumate imbuatur.

### ACIDUM BORICUM MEDICINALE.

*Acidum boracicum. Sal sedativum Hombergii.*

R. Boratis sodæ . . . . . part. 5

Solve in

Aquæ bullientis . . . . . » 12

solutioni fervidæ et colatæ instilletur sensim sub continua agitatione

Acidi sulphurici concentrati pars una.

Sepone liquorem ut formentur crystalli. Lixivium residuum evaporetur ad pelliculam, et refrigeratione separentur crystalli, cum prioribus, aqua frigida abluendæ et siccandæ. Serventur in vasis clausis.

Sint crystalli albæ, sericeo nitore insignes, subpellucidæ, saporis vix ullius, in partibus aquæ triginta nec non in alcohole fortiori solubiles, hujusque flammam colore viridi tingentes. Solutio aquosa liquore chlorureti baryi vix turbetur.

### ACIDUM CHLORHYDRICUM.

CHLORIDUM HYDRICUM.

*Acidum hydrochloricum. Acidum muriaticum. Spiritus salis fumans.*

HCl + Aq.

R. Chlorureti sodii depurati et fusi . . . . . part. 5

Acidi sulphurici 66° . . . . . » 5

Aquæ destillatæ . . . . . » 1

Chloruretumingere in retortam tubo in formam litteræ S curvato instructam et sat amplam ut ad dimidium tantum miscela destillanda repleatur. Retorta secundum leges artis conjungatur cum tribus lagenis Woulfianis, quarum prima parvam aquæ quantitatem contineat ad gas acidum eluendum, alteri vix ultra dimidium replendæ immittantur aquæ partes duæ, et tertia unam tantum partem aquæ contineat. Conjungendæ autem sunt lagenæ eo modo ut tubi, per quos gas in aquam defertur, aliquot tantum millimetra in eam descendant.



Quo facto, in retortam per tubum affunde gradatim acidum sulphuricum prius aqua dilutum, commissuris lagenarum et retortæ probe clausis et lagenis durante destillatione refrigeratis. Eruptione gas acidi fere peracta, retorta calefiat, igne initio leni, dein fortiori et sensim aucto, donec bullulæ gas acidi in prima lagena non amplius appareant. Liquor primæ lagenæ rejiciatur; liquidum autem secundæ et tertiæ lagenæ, acidum chlorhydricum purum constituens, in vasis optime clausis asservetur.

Parari quoque potest acidum chlorhydricum purum ex acido venali 22°, quod, in retorta vitrea cum apparatu Woulfiano conjuncta, destillationi, blando calore temperaturam 400° C. haud excedente, submittitur. In prima lagena Woulfiana solutionem sulphatis ferrosi ad gas acidum abluendum immittere conducit, qua chlorum, si adsit, retineatur. Acido autem venali, quod non raro evenit, si acidum sulphurosum aut nitrosum, vel si arsenicum inest, ante destillationem addatur sulpho-hydras sodæ solutus, ea tantum quantitate ut odorem hydrogenii sulphurati leviter spargat. Post macerationem per biduum, admisceatur paucillum bioxydi mangani, ut hydrogenium sulphuratum excedens chloro evoluta decomponatur; dein liquor decapulatus destillet donec tertia fere pars vaporatione consumpta sit. Humor e lagenis extractus, excepta prima, acidum chlorhydricum purum præbet. Partes 400 liquidi in retorta residui, partes circiter 20 acidi chlorhydrici adhuc continent.

Sit limpidum, coloris expers, vapores acidos pungentes edens, calore ex toto volatile, ponderis specifici 1,18 (22°). Aqua destillata dilutum, neque addito chlorureto baryi soluto, neque sulpho-hydrate ammonico turbetur; nec cum liquore ferro-cyanureti potassii primis momentis cærulescat, nec cum aqua hydrosulphurata lactescat.

#### ACIDUM CHLORHYDRICUM DILUTUM.

R. Acidi chlorhydrici puri . . . . . part. 4  
Aquæ destillatæ . . . . . " 5


Misce.

Sit ponderis specifici 1,050.

NOTA. Si Medicus acidum chlorhydricum sine designatione præscripserit, acidum dilutum dabit Pharmacopola.

#### ACIDUM CITRICUM.

*Acidum citri. Acidum limonum.*



R. Succi citri recentis et albumine clarificati quantum libet.

Cretæ albæ præparatæ,

Acidi sulphurici 66°, utriusque quantum satis.

Succo citri calefacto adde per vices cretam ad saturationem. Sedimento aqua fervida abluto et in pulvem redacto infunde, continuo agitans, acidi sulphurici antea sextuplo aquæ destillatæ diluti par pondus cretæ adhibita. Tunc digere, interdum quassando, per plures dies, donec parva liquoris quantitas filtrata cum chlorureto baryi præcipitatum edat in acido nitrico fere totum solubile. Mixta colentur cum expressione; edulcoretur residuum aqua frigida; evaporetur liquor clarus leni calore usque dum pellicula crystallina appareat; sulphas calcis depositus separetur, fluidumque seponatur loco frigido ad crystallisandum. Crystallos post quatuor vel quinque dies demissas separa et lixivium evapora, quamdiu oriuntur refrigeratione crystalli. Quæ, si coloratæ vel flavescentes crystallisatione pluries repetita depurentur.

Acidum citricum purum prismata exhibet recte rhombica, sæpius octaëdro rhombico conjuncta, incolora et pellucida, saporis fortis sed grate acidi, aëre immutabilia et in alcohole solubilia. Solvitur in aquæ frigidæ parte æquali et fervidæ parte dimidia; quæ solutio nec aqua hydrosulphurata, nec liquore potassico mutetur; sedimentum autem acetate plumbi productum in acido nitrico sit ex toto solubile. Eadem solutio aqua calcis subexcedente commixta, non in temperatura ordinaria præcipitatur, nisi acidum tartaricum contineat, sed calefacta, sedimentum album præbet. Calori fortiori expositum resolvitur sine ullo residuo.


Nota. Acidum citricum venale sapius sat purum pro usu medico occurrit. Si vero impurum prostat, solutione in aqua et repetita crystallisatione depuretur.

Acidum citricum in decupla aquæ quantitate solutum loco succi citri adhiberi potest.

### ACIDUM CYANHYDRICUM.

CYANIDUM HYDRICUM.

*Acidum hydrocyanicum s. hydrocyanatum. Acidum borussicum.*



R. Ferro-cyanureti potassii . . . . .	part. 146
Acidi sulphurici concentrati . . . . .	» 146
Aquæ destillatæ . . . . .	» 536
Alcoholis 28° (89° C.) . . . . .	» 800

Ferro-cyanuretum in frustula tenuia diffractum immitte in retortam vitream amplitudinis triplicis substantiarum volumine; huic infunde acidum sulphuricum aqua et spiritu vini commixtum ac probe refrigeratum. Excipulo tubulato retortæ conjuncto adapta tubum vitreum Welterianum cuius brachium verticale altius descendat in lagunculam cui antea immisæ sunt 100 partes alcoholis 28°.


Tum retorta balneo aquæ imposita, juncturis probe obturatis et excipulo



aqua frigida immerso, fiat destillatio quamdiu gutta transit. Liqueoribus excipuli ac lagunculæ commixtis adde alcoholis 28° tantum ut pondus totius fluidi sit partium 1000, vel potius ut mille partes 25 partes acidi cyanhydrici anhydri contineant, aut cum nitrate argenti partes 125 cyanureti argenti siccati producant. Tum in lagunculas effunde, quæ bene obturatæ, loco obscuro ac frigido, cautissime serventur.

Sit limpidum, coloris expers, amygdalas amaras valde redolens; affusa aqua hydro-sulphurata non mutetur, et aqua destillata dilutum chlorureto baryi non aut vix turbetur.

#### ACIDUM LACTICUM.




R. Lactis. . . . . part. 20  
Sacchari lactis. . . . . " 4

Saccharum lactis in aquæ tepidæ minima quantitate solutum lacti admisce, et per plures dies, calore circiter 20° C., in vase figulino orificii amplioris sed haud profundo, aëri libero expone, ut lac acescat. Quo facto, liquorem bicarbonate sodæ satura; post viginti quatuor aut triginta sex horas, lac acidum denuo factum, iterum satura, pergeque eodem modo donec saccharum lactis in acidum lacticum omnino conversum sit, scilicet donec de novo saturatus liquor, aëri calido expositus, post triduum vix rursus acescat. Tum vero, ut caseum in coagulum cogatur, liquidum ebullitioni submitte, filtra, ac in syrupi spissitudinem, leni calore et sub finem ex balneo aquæ bullientis, evapora. Residuum refrigeratum dilue in lagenam cum duplici volumine alcoholis 28° (89° C.) ut lactas sodæ solvatur; agita sæpius et sepone; dein liquorem limpium defunde et cola. Solutioni colatæ adde acidi sulphurici concentrati quantitatem congruam, videlicet bicarbonatis sodæ adhibiti ponderis partem circiter dimidiam, qua lactas sodæ decomponitur ac præcipitatum sulphatis sodæ efficitur. Acidi lactici solutionem alcoholicam inde exortam filtra, et, maxima parte alcoholis destillatione recuperata, liquorem adhuc calidum ope eretæ satura, ac quadrupla aquæ quantitate dilutum ebullitioni submitte; bullientem filtra, et percalido, affunde paulatim acidum oxalicum solutum, donec nulla amplius præcipitatio fiat. Liquidum acidum ab oxalate calcis, tum decanthatione, tum filtratione separatum, ad syrupi spissitudinem, calore 100° C., evapora et loco sicco in vase probe clauso serva.

Sit coloris et odoris expers, saporis admodum acidi. Maxime concentratum syrupi crassitudinem præbet; calore partim decomponitur ac sublimatum album producit, relicta parte carbonacea. Acidum lacticum ammonio caustico neutralisatum, nec oxalate potasse, nec chlorureto barytico præcipitetur.

ACIDUM NITRICUM 40°.

*Acidum azoticum. Spiritus nitri fumans.*



R. Acidi nitrici venalis 40° quantum libet,  
Nitratis argenti in acido nitrico soluti quantum satis.

Acido adde guttatim solutionem nitratis argenti quamdiu præcipitatum album formatur, et sepone per aliquot dies; tum liquorem limpidum defunde in retortam vitream sat amplam cui adaptetur excipulum aqua frigefaciendum. Instituatur destillatio igne leni, donec decima tantum pars acidi in retorta maneat.

Parari quoque potest acidum nitricum concentratum sequenti modo:

R. Nitratis potassæ depurati et pulverisati.	part.	100
Acidi sulphurici concentrati . . . . .	»	97
Aquæ . . . . .	»	30

Nitrati in retortam vitream immisso affunde acidum sulphuricum aqua dilutum. Tum applicetur excipulum idoneum sat amplum fiatque destillatio, igne primum moderato, sed gradatim aucto donec residuum aquæ instar fluat. Destillatione peracta, retortam ab igne amove et sal residuum, statim ac concreescere incipit, per collum retortæ effunde. Servetur in vasis vitreis probe obturatis, loco obscuro et frigido.

Sit liquor limpidus, a chloro liber et ponderis specifici 1,58 (40°).

ACIDUM NITRICUM PURUM 56°.

R. Acidi nitrici venalis 56° quantum libet,  
Nitratis argenti in acido nitrico soluti quantum satis.

Acidum, addita nitratis argenti solutione quæ leviter prævaleat, cum parva bichromatis potassæ quantitate, igne leni, destilla.

Sit limpidum et incolor. Cum duabus vel tribus aquæ partibus dilutum nec chlorureto baryi, nec nitrate argenti præcipitur.

ACIDUM NITRICUM DILUTUM.

R. Acidi nitrici 40° . . . . .	part.	1
Aquæ . . . . .	»	2

Misce.

Pondus specificum liquidi sit 1,120.

NOTA. Si Medicus acidum nitricum sine designatione præscripserit, acidum nitricum dilutum dabit Pharmacopola.



ACIDUM NITRO-CHLORHYDRICUM.


ACIDUM CHLORO-NITROSUM.

*Aqua regalis s. regia. Acidum nitro-muriaticum.*

- R. Acidi nitrici 40° . . . . . part. 4  
— chlorhydrici 22° . . . . . » 5

Misce in vase vitreo aquæ frigidæ immerso; servetur in lagena probe obturata, loco frigido et obscuro.

ACIDUM OXALICUM.




- R. Sacchari pulverati . . . . . part. 4  
Acidi nitrici 56° . . . . . » 5

CHARTA EXPLORATORIA CÆRULEA.

Lacca Musci pulverata cum aquæ destillatæ sextuplo infundatur per viginti quatuor horas, vas interdum agitando. Liquore filtrato illinantur segmenta chartæ albissimæ, ita quidem ut non nimio colore saturata sint; quæ, suspensione in aëre siccata, in vitris obturatis et loco obscuro servantur.

CHARTA EXPLORATORIA CÆRULEA RUBEFACATA.

Charta exploratoria cærulea immergatur aquæ centesima circiter parte acidi chlorhydrici diluti acidulatæ, ita ut colorem rubrum induat; dein siccata servetur in vase clauso.

CHARTA EXPLORATORIA LUTEA.

Radix Curcumæ concisa digeratur cum aquæ destillatæ fervidæ sextuplo, per horas tres. Liquore filtrato illinantur papyri ut supra, et loco obscuro servantur.

CHLORURETUM BARYI SOLUTUM.

Cum chlorureti baryi parte una et aquæ destillatæ partibus novem paretur.

SESQUI-CHLORURETUM FERRI SOLUTUM.

Cum sesqui-chlorureti ferri parte una et aquæ destillatæ partibus novem parandum.

Morphinæ acidisque tannico et succinico detegendis præcipue inservit.

BI-CHLORURETUM HYDRARGYRI SOLUTUM.

Paretur cum bi-chlorureti parte una et aquæ destillatæ partibus viginti quatuor.

PER-CHLORURETUM PLATINI.

R. Platini quantum libet.

Acidi nitro-chlorhydrici quantum sufficit.

Solve calide; tum fere ad siccum evapora et residuum cum aquæ destillatæ partibus viginti dilue.

BI-CHROMAS POTASSÆ.

Præparatum officinarum chemicarum.

Crystallos exhibet obscure rubras, in aqua facile solubiles; nova crystallisatione sunt depurandæ. Solutio hujus salis aquosa liquore nitratis barytæ præcipitatum edat quod, affuso acido nitrico, perfecte solvitur.

#### FERRO-CYANURETUM POTASSII SOLUTUM.

Ferro-cyanureti potassii depurati pars una solvatur in aquæ destillatæ partibus novem.

Liquor filtratus sit limpidus; liquore chlorureti baryi non turbetur; præcipitatum nitrate argenti productum in acido nitrico sit solubile.

#### IODURETUM POTASSII SOLUTUM.

Paretur cum iodureti potassii parte una et aquæ destillatæ partibus quatuor.

Cave ne carbonatem potassæ aut chloruretum potassii contineat.

#### IODURETUM POTASSII IODATUM SOLUTUM.

Iodureti potassii pars una et iodii pars quoque una solvantur in aquæ destillatæ partibus quinquaginta.

Solutio filtrata ad alcaloidea vegetabilia investiganda adhibetur.

#### LIQUOR IODURETI POTASSII CHLOROMETRICUS.

Iodureti potassii siccus et purus grammata 2,482 solvantur in aquæ puræ sufficienti quantitate ut solutio volumen litri, temperatura 0°, exhibeat. Servetur in vase vitreo bene clauso.

Hæc solutio volumine æquali gas chlorici, post præactam colorationem, perfecte decoloratur.

Ut hoc liquore valor chlorureti calcis dijudicari possit, sumantur, verbi gratia, 50 centimetra liquoris chlorometrici, quibus pauxillum acidi chlorhydrici liquidi addatur; tum infundatur, guttatim et sub continua agitatione, miscela e grammate chlorureti calcis et aquæ puræ decilitro parata, donec liquor, qui prius colorem fuscum assumpsit, perfecte decolor appareat, curando ut, per operationem, aciditatem non amittat. E volumine adhibito liquoris chlorureti calcis, vis hujus substantiæ facile deducitur, quia in isto volumine 50 centimetra chlori inesse compertum erit.

#### LIQUOR NITRATIS ARGENTI NORMALIS.

Solvantur nitratis argenti fusi 625 milligrammata in aquæ puræ quantitate congrua ut solutio decimæ litri parti respondeat. Servetur, loco obscuro, in vase vitreo apte clauso.

Hujus solutionis centilitrum unum requiritur ad perfectam præcipitationem unius centigrammatis acidi cyanhydrici puri, ideoque ad explorationem acidi cyanhydrici medicinalis adhiberi potest.



**NITRAS ARGENTI SOLUTUS.**

Fiat cum nitratis argenti sicci ac puri parte una et aquæ destillatæ partibus novem. A luce seclusus servetur.

**NITRAS BARYTÆ SOLUTUS.**

Liquor chlorureti baryi, duplo aquæ dilutus, ope liquoris carbonatis ammoniæ præcipitetur. Præcipitatum filtratione separatum, aqua destillata bene edulcoratum, in acidi nitrici dilutionis quantitate haud excedente solvatur et solutio filtrata, lege artis, in crystallos redigatur. Crystalli siccate solvantur in aquæ destillatæ partibus novem.

**OXALAS AMMONIÆ SOLUTUS.**

Acidum oxalicum aqua solutum cum sufficienti quantitate ammoniæ liquidæ perfecte saturetur et liquor limpidus ad crystallisationem evaporetur. Crystallorum pars una solvatur in aquæ partibus viginti novem.

Crystalli sint albæ, igne volatiles; nec a sulpho-hydrate ammonico liquido colorem alienum assumant.

**PHOSPHAS SODÆ SOLUTUS.**

Cum phosphatis sodæ crystallisati parte una et aquæ puræ partibus novem paratur.

**POTASSA CAUSTICA SOLUTA.**

**SULPHAS CUPRI SOLUTUS.**

Sulphatis cupri crystallisati pars una in aquæ puræ partibus novem solvatur.

**SULPHAS CUPRI AMMONIACALIS SOLUTUS.**

Paratur solvendo hujus salis partem unam in novem partibus aquæ puræ.

**SULPHAS FERROSUS SOLUTUS.**

Sulphatis ferrosi crystallisati puri pars una in aquæ puræ fervidæ partibus novem solvatur. Fiat solutio ex tempore.

**SULPHAS MAGNESIÆ SOLUTUS.**

Cum sulphatis magnesiæ depurati parte una et aquæ destillatæ partibus novem paratur.

Liquore oxalatis ammoniæ non turbetur.

**SULPHAS SODÆ SOLUTUS.**

Sulphatis sodæ depurati pars una solvatur in aquæ puræ partibus novem.

**SULPHO-HYDRAS AMMONICUS SOLUTUS.**

Gas hydrosulphuratum ducatur per tubulum vitreum in liquorem ammoniæ causticæ bene refrigeratum, donec nil amplius absorbeatur. Servetur in lagunculis plenis, arcte clausis, loco obscuro et frigido.

Sit limpidus, plane volatilis; affuso acido sulphurico vix lactescat, sed gas hydrosulphuratum copiose emittat. Liquorem sulphatis magnesiæ non præcipitet.

**TINCTURA GALLARUM.**

Macerentur per triduum Gallæ contusæ cum alcoholis rectificati sextuplo, subinde agitando; dein filtretur liquor.

NOTA. Tincturæ Gallarum substitui potest solutio acidi tannici, aquæ partibus viginti soluti, cui additur ætheris pars una ad liquorem servandum.

**CUPRUM, FERRUM ET ZINCUM.**

Serventur hæc metalla in lamellis nitentibus, vase sicco et clauso, in quo fragmenta calcis vivæ, charta leviter involuta, deponi possunt, ut humiditas, qua metallorum oxydatio promovetur, avertatur.



TABULA I.

Pondera specifica minima et maxima Oleis æthereis propria,  
temperat. 15° C.

OLEA ÆTHEREA.	MINIM.	MAXIM.
Oleum Absinthii . . . . .	0,900	0,972
Amygdalarum amararum . . . . .	1,043	1,073
Anethi . . . . .	0,881	0,951
Animale Dippelii . . . . .	0,750	0,895
Anisi stellati . . . . .	0,967	0,987
Anisi vulgaris . . . . .	0,972	0,995
Artemisiæ dracunculoïdes . . . . .	0,953	0,950
Asphalti rectificatum . . . . .	0,864	0,920
Aurantii, e floribus . . . . .	0,820	0,908
Aurantii, e corticibus . . . . .	0,840	0,888
Bergamottæ . . . . .	0,836	0,888
Cajeputi . . . . .	0,907	0,948
Calami . . . . .	0,890	0,993
Cardamomi . . . . .	0,928	0,943
Carvi . . . . .	0,914	0,974
Caryophyllorum . . . . .	1,050	1,066
Cascarillæ . . . . .	0,909	0,958
Chamomillæ romanæ . . . . .	0,906	0,953
Chamomillæ vulgaris . . . . .	0,924	0,947
Cinnamomi Ceylanici . . . . .	1,006	1,091
Cinnamomi Chinensis . . . . .	1,044	1,093
Citri, e corticibus . . . . .	0,847	0,868
Copaivæ, e balsamo . . . . .	0,874	0,910
Coriandri . . . . .	0,739	0,859
Cubebarum . . . . .	0,922	0,929
Cumini . . . . .	0,894	0,973
Cynæ . . . . .	0,912	0,977
Fœniculi . . . . .	0,896	0,999
Galbani . . . . .	0,916	0,920
Hyssopi . . . . .	0,889	0,986
Juniperi, e baccis . . . . .	0,833	0,911
Lavandulæ . . . . .	0,872	0,948
Macidis . . . . .	0,920	0,953





TABULA II.

Medicamina quæ luce decomponuntur aut alterantur.

Acetas hydrargyrosus.  
Acidum cyanhydricum.  
Acidum nitricum 40°.  
Acidum nitro-chlorhydricum.  
Acidum sulpho-hydricum liquidum.  
Aqua Amygdalarum amararum.  
Aqua Chlori.  
Aquæ aromaticæ destillatæ.  
Aqua Lauro-cerasi.  
Aqua phagedænica.  
Æther chlorhydricus alcoholicus.  
Bromuretum ferri.  
Calomelas s. Chloretum hydrargyrosus.  
Carbonas ammoniæ pyro-oleosus.  
Chloruretum auri.  
Chloruretum calcis.  
Chloruretum potassæ.  
Chloruretum sodæ.  
Cyanuretum auri.  
Hydrargyrum præcipitatum album.  
Iodureta hydrargyri.  
Ioduretum amyli.  
Ioduretum ferri.  
Ioduretum plumbi.  
Kermes minerale.  
Kreosotum.  
Lactas ferri.  
Nitras argenti.  
Nitras hydrargyri ammoniacalis.  
Olea ætherea.  
Oleum de narcoticis.  
Oleum succini rectificatum.





TABULA III.

Medicamina quæ a Pharmacopola, speciali cura, asservanda et dispensanda sunt.

- Acidum cyanhydricum.
- Acidum chlorhydricum.
- Acidum nitricum.
- Acidum oxalicum.
- Acidum sulphuricum.
- Aconitum et præparata.
- Aloes extractum aquosum.
- Antimonii composita.
- Aqua Amygdalarum amararum.
- Aqua Lauro-cerasi.
- Argenti composita.
- Arsenicum et composita.
- Atropina.
- Auri composita.
- Baryi composita.
- Belladonna et præparata.
- Bromium.
- Cantharides et præparata.
- Chloroformum.
- Cicuta et præparata.
- Colchicum et præparata.
- Cupri composita.
- Cyanuretum potassii.
- Digitalis et præparata.
- Euphorbium.
- Gummi-Guttæ.
- Hellebori radix et præparata.
- Hydrargyrum sublimatum corrosivum.
- Hydrargyri iodureta.
- Hydrargyri cyanuretum.
- Hydrargyri nitras.
- Hyoseyamus et præparata.

Iodium.  
Kreosotum.  
Lactuca virosa et præparata.  
Morphina et composita.  
Nicotiana et præparata.  
Nuces vomicæ et præparata.  
Oleum æthereum Amygdalarum.  
Oleum æthereum Lauro-cerasi.  
Oleum Crotonis.  
Opium et præparata.  
Phosphorus.  
Plumbi composita.  
Potassa fusa.  
Pulsatilla et præparata.  
Rhus toxicodendron et præparata.  
Sabadillæ semen.  
Sabina et præparata.  
Santonina.  
Secale cornutum et præparata.  
Scilla.  
Soda caustica.  
Staphysagria.  
Stramonium et præparata.  
Strychnina et composita.  
Sulphas zinci.  
Veratrina et præparata.

III. TABULA

Medicamina pura à Pharmacopoea  
disponenda sunt  
Aether amygdalarum  
Aether chloroformicus  
Aether crotonis  
Aether lauro-cerasi  
Aether oleosus  
Aether sulphuricus  
Aesculus et præparata  
Albus extractus opium  
Antium composita  
Aqua Amygdalarum amararum  
Aqua lauro-cerasi  
Argentum composita  
Aurum et composita  
Aurum  
Aurum composita  
Belladonna et præparata  
Bromium  
Camphora et præparata  
Chloroformum  
Casta et præparata  
Colchicum et præparata  
Cupi composita  
Cyanurium potassii  
Digitalis et præparata  
Iodurium  
Gamm-Gutta  
Hellebori viridis et præparata  
Hydrocyanicum sublimatum correctum  
Hydrocyanicum tabacum  
Hydrocyanicum praxianum  
Hydrocyanicum album  
Hydrocyanicum et præparata



TABULA IV.

Miscelæ frigorificæ sæpius usitatæ.

INGREDIENTIA.	REFRIGERATIONIS GRADUS.
Nivis . . . . . part. 2.	} a 0° usque ad — 28°.
Chlorureti calcii hydratici. . . . . » 5.	
Glaciei pulveratæ. . . . . » 2.	} a 0° » — 20°.
Chlorureti sodii. . . . . » 1.	
Acidi chlorhydrici liquidi. . . . . » 5.	} a +10° » — 18°.
Sulphatis sodæ pulverati. . . . . » 8.	
Nitratis potassæ pulverati. . . . . » 5.	} a +10° » — 12°.
Chlorhydratis ammonici. . . . . » 5.	
Aquæ communis. . . . . » 16.	} a +10° » — 13°.
Chlorhydratis ammonici pulverati . . » 5.	
Nitratis potassæ. . . . . » 5.	
Sulphatis sodæ crystallisati. . . . . » 8.	
Aquæ communis . . . . . » 16.	

TABULA V.

Puncta ebullitionis quærumdam solutionum, quæ ad balnea Maris diversi caloris gradus obtinenda, adhiberi possunt.

Solutio fervida et saturata	}	Aluminis . . . . . ebullit calore 104°.
		Chlorureti sodii . . . . . » 108°.
		Nitratis potassæ . . . . . » 114°.
		Nitratis sodæ . . . . . » 119°.
		Carbonatis potassæ . . . . . » 140°.
		Chlorureti calcis . . . . . » 178°.

TABULA VI.

Doses medicamentorum maximæ pro adulto.

MEDICAMENTA.	DOSES MAXIMÆ.
Acetas morphinæ . . . . .	centigr. duo.
plumbi . . . . .	"    quinque.
Acidum arsenicosum . . . . .	milligr. quinque.
cyanhydricum medicinale . . . . .	centigr. quinque.
Arsenias potassæ vel sodæ . . . . .	milligr. quinque.
Aqua Amygdalarum amararum . . . . .	gramm. duo.
Lauro-cerasi . . . . .	"    duo.
Cantharides pulveratæ . . . . .	centigr. tria.
Chlorhydras morphinæ . . . . .	"    duo.
Chloruretum auri et sodii . . . . .	"    quinque.
Colocynthis . . . . .	"    decem.
Cyanuretum hydrargyri . . . . .	"    duo.
potassii . . . . .	"    tria.
Extractum aquosum Aconiti . . . . .	"    decem.
Belladonnæ . . . . .	"    decem.
Conii maculati . . . . .	"    decem.
Digitalis . . . . .	"    decem.
Hyoseyami . . . . .	"    decem.
Lactuæ virosæ . . . . .	"    quindecim.
Opii . . . . .	"    quinque.
Seminum Stramonii . . . . .	"    quinque.
Secalis cornuti . . . . .	"    viginti.
Scillæ . . . . .	"    viginti.
Extractum alcoholicum Aconiti . . . . .	"    quinque.
Belladonnæ . . . . .	"    quinque.
Colocynthidis . . . . .	"    quinque.
Nucum vomicarum . . . . .	"    decem.
Scillæ . . . . .	"    decem.
Folia Belladonnæ pulverata . . . . .	"    viginti.
Cicutæ " . . . . .	"    viginti.
Digitalis " . . . . .	"    viginti.



Folia Hyoseyami pulverata . . . . .	centigr.	viginti.
Nicotianæ . . . . .	»	quindecim.
Stramonii . . . . .	»	quindecim.
Toxicodendri . . . . .	»	triginta.
Gummi guttæ . . . . .	»	viginti.
Hydrargyrum sublimatum corrosivum . . . . .	»	duo.
bi-ioduretum rubrum . . . . .	»	duo.
proto-ioduretum . . . . .	»	quinque.
Kreosotum . . . . .	gutta	una.
Laudanum liquidum Sydenhami . . . . .	guttæ	viginti.
Liquor arsenicalis Fowleri . . . . .	»	decem.
Nitras argenti fusus . . . . .	centigr.	duo.
Nuces vomicæ pulveratæ . . . . .	»	decem.
Oleum Amygdalarum æthereum . . . . .	gutta	una.
Crotonis . . . . .	»	una.
Opium . . . . .	centigr.	quinque.
Phosphorus . . . . .	»	unum.
Radix Belladonnæ pulverata . . . . .	»	quindecim.
Scillæ . . . . .	»	viginti.
Semen Stramonii pulveratum . . . . .	»	viginti.
Sulphas Cupri . . . . .	»	decem.
Morphinæ . . . . .	»	unum.
Zinci . . . . .	»	quindecim.
Strychnina aut hujus salia . . . . .	»	unum.
Tartarus emeticus . . . . .	»	viginti.
Tinctura Cantharidum . . . . .	guttæ	decem.
Colchici . . . . .	»	viginti.
Colocynthidis . . . . .	»	viginti.
Digitalis . . . . .	»	triginta.
Iodii . . . . .	»	decem.
Lobelix . . . . .	»	triginta.
Opii . . . . .	»	viginti.
Nicotianæ . . . . .	»	triginta.
Stramonii . . . . .	»	quindecim.
Veratrina . . . . .	centigr.	unum.

Si medicamina hujus tabulæ ad usum internum majori dose præscriban-  
tur quam quæ supra indicata, eam non propinabit Pharmacopola nisi dosis  
linea subnotetur vel signum! subsequatur. Cautione hac ommissa, ne forsitan

error adsit, moneatur Medicus a Pharmacopola, qui interea et donec Medicus pronunciaverit, loco dosis præscriptæ dosin tabulæ inscriptam propinabit. Notandum doses hujus tabulæ non nisi pro adulto indicatas esse, quantitatemque exhibere maximam una vice hauriendam. Attamen pro viginti quatuor horis dosis duplex, si non una vice sed per partes sumitur, præscribi potest.

Facile intelliget Pharmacopola doses maximas pro infantibus ratione ætatis esse minuendas, ita ut, verbi gratia, illis qui decimum ætatis annum attingerunt non nisi dosis aduitorum dimidia est exhibenda.



TABULA VII.

Antidota et præcepta quædam ad veneficium impugnandum.

*Quum in veneficiis recentibus, absente Medico, Pharmacopœe sæpius in auxilium vocantur, hocque in casu eo magis valeant remedia quocitius ministrentur, antidota comprobata vel primas curas venenatis afferendas indicare utile censuimus.*

**VENEFICIUM AB ACIDIS FORTIORIBUS.** — Magnesia usta cum aqua diluta vel etiam creta pulverata aut sapo aqua solutus ad acida neutralisanda exhibeantur. Porrigantur quoque lac necnon albumina ovorum cum aqua subacta.

**VENEFICIUM AB ACIDO CYANHYDRICO VEL BORUSSICO.** — Aqua chlori in potu saccharato, necnon 50 centigrammata sulphatis ferrosi quadruplo aquæ soluta et cum grammate carbonatis sodæ soluto, dum hauriuntur, miscenda propinentur.

**VENEFICIUM AB ACIDO SULPHO-HYDRICO.** — Ægrotus sub dio collocatus pauxillum chlori aut chlorureti calcis inspiret, parvamque chlori quantitatem in potu saccharato sumat. Caterum stimulantia frictionesque prosunt.

**VENEFICIUM AB ALCALIBUS MINERALIBUS.** — Propinanda acetum aqua dilutum et hæustus acidulati.

**VENEFICIUM AB ALCALOIDEIS ACRIBUS.** (*Strychnina, Brucina, Nux vomica, Veratrina, etc.*) — Solutum acidi tannici debile vel infusum gallarum necnon potus oleosi et mucilaginosi præscribantur, vomitusque ciatur tum faucium titillatione, tum etiam emetico.

**VENEFICIUM ARSENICALE.** — Peroxydum ferri hydricum (60-100 gramm.) aqua dilutum per vices exhibeatur. Magnesia usta, magna dosi, etiam convenit. Propinentur potus oleosi, vomitusque ciatur fundum gutturis cum barbula plumæ titillando.

**VENEFICIUM A CANTHARIDIBUS.** — Proficiunt lac et potus mucilaginosi, clysmata oleosa, aqua camphoræ vel emulsio camphorata.

**VENEFICIUM CUPRICUM.** — Propinanda limatura ferri porphyrisata (2-4 gramm.) in melle vel syrupo, potusque saccharati necnon albumina ovorum conquassata.

**VENEFICIUM A FUNGIS.** — Vomitus ciatur, dein purgans oleosum præscribatur necnon potio cum æthere sulphurico.

**VENEFICIUM MERCURIALE.** — Albumina ovorum fuscinae ope subacta ministrentur; dein post semihoram vomitus ciatur tum potu oleoso, tum faucium titillatione.

**VENEFICIUM A MITULIS.** — Vomitus moveatur, dein æther fortiori dosi propinetur.

**VENEFICIUM A NARCOTICIS.** (*Morphina, Opium, Stramonium, Belladonna, Hyoscyamus, Cicuta, Conium, Lactuca virosa, etc.*) — Expellatur venenum vomitu, ope sulphatis zinci vel tartari emetici; clysmata purgantia injiciantur. Sopor dein discutiatur infuso Coffeae fortiori.

**VENEFICIUM A NITRATE ARGENTICO.** — Conducit solutio salis communis.

**VENEFICIUM A PLUMBO.** — Juvant sulphas sodæ vel magnesiæ (50 gramm.) aqua solutus, necnon limonata ex acido sulphurico aut tartarico.

**VENEFICIUM A SALIBUS ZINCI.** — Sorbendus bi-carbonas sodæ aqua solutus; conducit etiam magnesia usta, aqua diluta.

**VENEFICIUM A TARTARO EMETICO.** — Exhibeatur acidum tannicum centum aquæ partibus solutum, seu infusum gallarum necnon decoctum corticis Peruviani.

**VENEFICIUM A VEGETABILIBUS ACRIBUS.** (*Bryonia, Nicotiana, Sabina, Euphorbia, Colchicum, etc.*) — Venenum vomitu et purgantibus oleosis expellendum.



FORMULARIUM

Formulae magistrales apud nos usitate. adjectis preparatis  
quibusdam pharmaceuticis magis obsoletis.

ACTIVAE ALBUMINAE PER INJECTIONEM

APPENDIX.

Preparatio et descriptio...  
quibusdam...  
capitulum...

ACTIVAE FERRICAE

Preparatio...  
Bull. huiusmodi...  
Preparatio in aqua...  
liquor huiusmodi...

ACTIVAE POTASSAE LIQUIDA

B. Activa potassa...  
liquor...

ACTIVAE CUPRI AMMONIACI

Activa cupri...  
Activa ammoniaci...  
liquor...

Preparatio...  
liquor...

Ventriculus i. ferus. — Ventulus dicitur, aqua purgata oleum perire  
sicut necesse postea cum aliove sublimato.

Ventriculus i. succus. — Oleum cum faciat epe videtur  
minuatur; dein post remotionem vultus dicitur cum post oleum, cum  
insuper distillato.

Ventriculus i. vitellus. — Vitellus dicitur, cum aliove ferri dicitur  
purgatus.

Ventriculus i. succus. (Nepthes, Opus, Stramonium, Sals-  
dama, Anacardium, Citrus, Cereus, Lactuca scariola, etc.) — Expulsi-  
vum vultus, epe sulphure dicitur cum lactari eademque siccata per  
gula inspiciantur, Sapor dein discutitur infuso Colles ferri.

Ventriculus i. vitellus. — Quodcumque vitellus talis communis.

Ventriculus i. vitellus. — Vitellus vitellus dicitur vel magister (30 grains)  
sunt vitellus, necesse siccata ex vitellus sulphure cum lactari.

Ventriculus i. vitellus. — Vitellus vitellus dicitur vel magister (30 grains)  
sunt vitellus, necesse siccata ex vitellus sulphure cum lactari.

Ventriculus i. vitellus. — Exhibetur vitellus vitellus dicitur  
sunt vitellus, necesse siccata ex vitellus sulphure cum lactari.

Ventriculus i. vitellus. (Syringia, Anacardium, Sals-  
dama, Citrus, etc.) — Vitellus vitellus dicitur vel magister (30 grains)  
sunt vitellus, necesse siccata ex vitellus sulphure cum lactari.

APPENDIX



# FORMULARIUM

SEU

Formulae magistrales apud nos usitatae, adjectis praeparatis quibusdam pharmaceuticis magis obsoletis.

## ACETAS ALUMINIS PRO INJECTIONIBUS.

R. Acetatis plumbi . . . . .	part.	42
Sulphatis aluminis. . . . .	»	40
Aquae . . . . .	»	200

Acetatem et sulphatem separatim solve in centum partibus aquae; tum liquores misce, et sepone ut sulphas plumbi subsidat. Dein liquorem effusum evapora donec 19° Aræometro denotet.

NOTA. 5 aut 6 litra liquoris adhibenda sunt pro injectione cadaveris.

## ACETAS FERRICUS.

R. Peroxydi ferri hydratici quantum velis,  
Acidi acetici concentrati quantum satis.

Peroxydum in acido solutum balneo maris ad siccum evapora. Servetur in lagena apte claudenda.

## ACETAS POTASSÆ LIQUIDUS.

R. Acetatis potassæ . . . . .	part.	40
Aquæ . . . . .	»	90
		<hr/>
		100

## ACETUM OPII AROMATICUM.

*Guttæ nigræ. Black drops.*

R. Opii . . . . .	part.	16
Nucis Moschatae . . . . .	»	5
Croci . . . . .	»	1
Aceti destillati quantum sufficit		

ut, maceratione et methodo lixiviativa, eliciantur. . . part. 100

Adde

Sacchari . . . . .	»	24
--------------------	---	----

et evapora ut remaneant partes 100.

ALCOHOLATUM ANHALTINÆ.

*Aqua anhaltina.*

R. Olibani . . . . .	part.	46
Mastichis . . . . .	»	42
Caryophyllorum . . . . .	»	42
Nucis Moschatæ . . . . .	»	42
Cubebæ . . . . .	»	42
Cinnamomi . . . . .	»	8
Baccarum Lauri . . . . .	»	8
Croci . . . . .	»	4
Alcoholis 25° . . . . .	»	4000
Post macerationem per viginti quatuor horas, adde		
Terebinthinæ venetæ . . . . .	»	96
Aquæ . . . . .	»	500
tum destilla balneo maris, donec sint Alcoholati 20° (75° C.) part. 4000.		

ALCOHOLETUM ACETATIS FERRICI.

R. Acetatis ferrici siccæ . . . . .	part.	45
Alcoholis 42° . . . . .	»	87
		100

Paretur ex tempore.

ALUMEN DRACONISATUM (PH. HAMBURGENSIS).

R. Aluminis crudi . . . . .	part.	2
In cochleari ferreo igne liquatis adde		
Sanguinis draconis pulverati . . . . .	»	1

*Eodem modo paretur :*

ALUMEN Kinosatum.

AQUA ASÆ FOETIDÆ COMPOSITA (PH. BORUSSICA).

R. Asæ foetidæ,		
Radicis Angelicæ,		
— Calami,		
Alcoholis 28°, singulorum . . . . .	part.	65
Aquæ quantum sufficit.		
Post macerationem per horas 24, destillentur partes 1000.		
Sit turbida, ab oleo supernatante libera.		

AQUA ASÆ FOETIDÆ CUM CASTOREO.

R. Aquæ Asæ foetidæ compositæ . . . . .	part.	98
Tincturæ Castorei canadensis . . . . .	»	2
		100



AQUA CÆRULEA.

*Aqua caelestis.*

R. Sulphatis cuprici . . . . .	part.	45
Ammoniae liquidæ . . . . .	»	95
Aquæ destillatæ . . . . .	»	890
		<hr/>
		1000

AQUA CASTOREI (PH. WIRTEMBERGICA).

R. Castorei canadensis . . . . .	part.	4
Aquæ quantum sufficit.		

Destillatione abstrahantur partes 1000.

AQUA FERRUGINOSA AËRATA.

*Loco Aquæ spadanae.*

R. Chlorureti ferrosi . . . . .	part.	0,06
Bi-carbonatis sodæ . . . . .	»	8
Acidi citrici crystallisati . . . . .	»	6
Aquæ . . . . .	»	986
		<hr/>
		1000,06

AQUA GLANDIUM QUERCUS (RADEMACHER).

R. Glandium recentium decorticorum . . . . .	part.	666
Alcoholis 29° . . . . .	»	166
Aquæ quantum sufficit.		

Destillantur partes 1000.

AQUA HÆMOSTATICA (PAGLIARI).

R. Benzoës . . . . .	part.	1
Sulphatis aluminis et potassæ . . . . .	»	2
Aquæ . . . . .	»	20

Coque per horas sex indesinenter agitando et aquam evaporatione consumptam restituendo. Cola et serva in vase clauso.

AQUA MAGNESIÆ AËRATA.

*Aqua carbonatis magnesiæ. Aqua acidula cum bi-carbonate magnesico.*

R. Sulphatis magnesiæ . . . . .	part.	62
Carbonatis sodæ . . . . .	»	60

Sulphatem magnesiæ et carbonatem sodæ seorsim solve in aquæ fervidæ quintuplo. Solutiones misce ac præcipitatum inde ortum, rite edulcoratum et adhuc humidum commisce cum

Aquæ destillatæ quantum satis

et ope gas acidi carbonici solve, ut sint Aquæ magnesiæ part. 1000.

AQUA NICOTIANÆ (RADEMACHER).

R. Herbae Nicotianae recentis . . . . .	part.	1000
Alcoholis 29° . . . . .	"	487
Aquae quantum sufficit.		

Elice destillatione partes 1000.

AQUA NUCIS VOMICÆ (RADEMACHER).

R. Nucum vomicarum contusarum . . . . .	part.	666
Alcoholis 29° . . . . .	"	54
Aquae quantum sufficit.		

Destillentur partes 1000.

AQUA QUASSIÆ (RADEMACHER).

R. Ligni Quassiae . . . . .	part.	468
Alcoholis 29° . . . . .	"	425
Aquae quantum sufficit		

ut destillatione eliciantur partes 1000.

AQUA SEDATIVA (RASPAIL).

R. Camphoræ . . . . .	part.	2
Alcoholis . . . . .	"	5
Aquae . . . . .	"	875
Chlorureti sodii . . . . .	"	20
Ammoniae liquidæ . . . . .	"	100
		<hr/>
		1000

Pro usu externo.

AQUA SEDLITZENSIS EXTEMPORANEA.

R. Sulphatis magnesiæ . . . . .	part.	60
Aquae . . . . .	"	950
Bi-carbonatis sodici . . . . .	"	5
Acidi tartarici . . . . .	"	5
		<hr/>
		1000

AQUA VICIENSIS ARTIFICIALIS.

R. Bi-carbonatis sodæ . . . . .	centigr.	600
Chlorureti sodii . . . . .	"	50
— calci . . . . .	"	50
Sulphatis sodæ . . . . .	"	60
— magnesiæ . . . . .	"	25
— ferrosi crystallisati . . . . .	"	1,5

Solve in aquae gaz acido carbonico saturatæ gramm. 1000.



AQUA VULNERARIA THEDENII.

*Mixtura vulneraria acida.*

R. Aceti Vini . . . . .	part.	500
Alcoholis 15°. . . . .	>	250
Acidi sulphurici diluti . . . . .	>	85
Mellis despumati . . . . .	>	167
		<hr/>
		1000

AXUNGIA BENZOATA.

R. Benzoës pulverati . . . . .	part.	40
Axungie recentis . . . . .	>	1000

Stent balneo vaporis per horas duas et colentur.

NOTA. Axungia hoc modo parata non fit rancida.

BALNEUM ACIDI CHLORHYDRICI.

R. Acidi chlorhydrici . . . . .	gramm.	1000
---------------------------------	--------	------

Pro balneo litrorum 500.

BALNEUM ALCALINUM FORTE.

R. Carbonatis sodæ crystallisati . .	gramm.	500
--------------------------------------	--------	-----

Pro balneo litrorum 500.

BALNEUM ALCALINUM MITIUS.

R. Carbonatis sodæ crystallisati . .	gramm.	250
--------------------------------------	--------	-----

Pro balneo litrorum 500.

BALNEUM AQUÆ MARINÆ ARTIFICIALIS.

R. Chlorureti sodii . . . . .	gramm.	7980
— magnesi . . . . .	>	2990
— calcii . . . . .	>	750
Sulphatis sodæ . . . . .	>	5130

Pro balneo litrorum 500.

BALNEUM AROMATICUM.

R. Specierum aromaticarum . . .	gramm.	1000
---------------------------------	--------	------

Pro balneo litrorum 500.

BALNEUM ARSENICALE (TESSIER).

R. Acidi arseniosi . . . . .	kil.	1
Sulphatis ferrosi . . . . .	>	10
Aquæ pluvialis quantum sufficit.		

Ebulliant per semihoram et sint liquoris litra 100.

NOTA. In usum medicinæ veterinariæ.

BALNEUM BARETGINENSE.

R. Sulpho-hydratis sodici crystall. . . gramm.	64
Carbonatis sodæ crystallisati. . . »	64
Chlorureti sodii. . . . . »	64
Aquæ. . . . . »	508

Solutio pro balneo litrorum 500.

BALNEUM GELATINOSUM.

R. Gelatinæ flavæ. . . . . gramm.	1000
Aquæ calidæ. . . . . litr.	40

Solutio pro balneo litrorum 500.

BALNEUM GELATINOSUM SULPHURATUM.

R. Gelatinæ flavæ . . . . . gramm.	1000
Sulphureti potassii officinalis. . . »	100

In aquæ sufficienti quantitate soluta, addantur balneo litrorum 500.

BALNEUM IODURATUM (LUGOL).

R. Iodureti potassii . . . . . gramm.	16
Iodii . . . . . »	8
Aquæ . . . . . »	600

Solutio pro balneo litrorum 500.

BALNEUM MERCURIALE.

R. Bichlorureti hydrargyri . . . . gramm.	15
Aquæ. . . . . »	500

Solutio pro balneo litrorum 500.

BALNEUM SULPHURATUM SIMPLEX.

R. Sulphureti potassii officinalis. . gramm.	100
--	-----

Pro balneo litrorum 500.

BALSAMUM VIRIDE.

*Balsamum Metensium s. Feuilleti.*

R. Sub-acetatis cupri pulverati . . . . part.	24
Sulphatis zinci . . . . . »	12
Aloës pulveratæ . . . . . »	16
Olei Lini. . . . . »	565
— Olivarum . . . . . »	565
— Lauri . . . . . »	60
Terebinthinæ Venetæ . . . . . »	120
Olei volatilis Juniperi. . . . . »	50
— — Caryophyllorum . . . . »	8

1000



Liquefac balneo maris Terebinthinam cum oleis expressis, ac massæ refrigeratæ adde pulveres et olea volatilia. Servetur in lagena et detur turbidum.

BALSAMUM VULNERARIUM.

R. Olei Olivarum . . . . .	part.	532
Terebinthinæ Venetæ. . . . .	»	158
Olei Rorismarini. . . . .	»	54
Alcholetî saponis . . . . .	»	276
		<hr/>
		1000

NOTA. *In usum medicinæ veterinarie.*

BOLI DIURETICI PRO EQUIS.

*Pils-Bols.*

R. Saponis . . . . .	gramm.	1000
Picis albæ. . . . .	»	1000
Nitratis potassæ . . . . .	»	250
Carbonatis potassæ. . . . .	»	250
Olei Juniperi . . . . .	»	60
Pulveris Liquiritiæ. . . . .	»	625

Fiant boli grammat. 60.

CATAPLASMA AD DECUBITUM (AUTENRIETH).

R. Corticis Quercus . . . . .	part.	100
Aquæ. . . . .	»	1000

Coque secundum artem et decocto colato instilla sub-acetatem plumbi liquidum quamdiu præcipitatum demittit. Tum sedimentum, ope filtri separatum, sub forma linimenti spissioris immitte in ollam et adde alcoholis 29° partes 15. Paretur ex tempore.

CATAPLASMA ANODYNUM (PH. GALLICA).

R. Capsularum Papaveris. . . . .	gramm.	52
Foliorum Hyoseyami nigri . . . . .	»	64
Aquæ quantum sufficit		

ut, post ebullitionem, supersint Colaturæ . . . . . 750

Adde

Farinarum emollientium . . . . .	»	128
----------------------------------	---	-----

dein coque ad spissitudinem cataplasmaticæ.

CERATUM ÆRUGINIS.

*Cera Viridis.*

*Vide Emplastrum Æruginis.*

CERATUM CAMPHORATUM.

R. Cerati simplicis . . . . .	part.	90
Camphoræ . . . . .	»	10
		<hr/> 100

CERATUM CUM LAUDANO.

R. Cerati simplicis . . . . .	part.	90
Laudani liquidi . . . . .	»	10
		<hr/> 100

CERATUM CUM OPIO.

R. Extracti Opii . . . . .	part.	40
Aquæ . . . . .	»	20
Cerati simplicis . . . . .	»	970
		<hr/> 1000

CERATUM E LAPIDE CALAMINARI.

R. Olei Olivarum . . . . .	part.	64
Ceræ flavæ . . . . .	»	16
Lapidis calaminaris præparati . . . . .	»	16
Acetatis plumbi . . . . .	»	4
		<hr/> 100

CEREOLI CUM OPIO.

R. Extracti Opii . . . . .	centigr.	20
Gummi arabici . . . . .	»	500
Syrupi simplicis . . . . .	»	125

Solve extractum in syrupo; adde gummi et fiant inde Cereoli n° 4, decem centimetr. longi. Parentur ex tempore.

*Eodem modo et eadem dosi parentur :*

CEREOLI cum acido tannico.

CEREVISIA AMARA.

R. Herbæ Absynthii . . . . .	part.	4
Radici Gentianæ . . . . .	»	4
Gemmarum Pini . . . . .	»	10
Cerevisiæ . . . . .	»	1000

Post macerationem per triduum filtra.

CEREVISIA ANTI-SCORBUTICA (PH. GALLICA).

R. Foliorum recentium Cochleariæ . . . . .	part.	16
Radicum Raphani rusticani . . . . .	»	52
Gemmarum Pini . . . . .	»	16
Cerevisiæ recentis . . . . .	»	1000

Macera per tres dies et filtra.



CHARTA AD CAUTERIUM.

R. Cerae flavae . . . . .	part.	584
Cetacei . . . . .	»	495
Resinae Elemi . . . . .	»	495
Terebinthinæ Venetæ . . . . .	»	250
		<hr/>
		1000

Liquata extendantur super chartulas.

CHARTA EPISPASTICA, N° 1.

R. Cantharidum . . . . .	part.	78
Cerae flavae . . . . .	part.	435
Cetacei . . . . .	»	217
Resinae Elemi . . . . .	»	217
Terebinthinæ Venetæ . . . . .	»	155
		<hr/>
		1000

Cum aquæ sufficienti quantitate fiat emplastrum, coquendo et colando Cantharides, uti præscriptum est pro unguento Cantharidum albo. Dein in massam emplasticam, balneo maris, liquatam immerge segmenta chartæ scriptoriæ ut illinantur.

CHARTA EPISPASTICA, N° 2.

Paretur eodem modo ac præcedens sed cum Cantharidum part. 90.

CHLORHYDRAS QUININÆ.

R. Sulphatis quininae . . . . .	part.	10
Chlorureti baryi crystallisati . . . . .	»	5

Sulphati quininae in aqua fervida soluto adde sensim sub continua agitatione chloruretum baryi, prius aqua solutum. Miscelam calore 50° fove per semihoram, calide filtra et evapora donec crystalli appareant; tum loco frigido sepone.

CHOCOLATA CARBONATIS FERRI.

R. Chocolatæ medicæ . . . . .	part.	986
Carbonatis ferri . . . . .	»	10
Vanillæ . . . . .	»	4
		<hr/>
		1000

CHOCOLATA LICHENIS ISLANDICI.

R. Pastæ Cacao insularum . . . . .	part.	500
— — caracensis . . . . .	»	200
Gelatinae Lichenis islandici siccae . . . . .	»	66
Sacchari . . . . .	»	454
		<hr/>
		1000

CHOCOLATA MEDICA s. SIMPLEX.

R. Pastæ Cacao insularum . . . . .	part.	500
— — caracensis . . . . .	»	200
Sacchari . . . . .	»	300
		<hr/> 1000

CHOCOLATA SALEP.

R. Chocolatæ medicæ . . . . .	part.	970
Pulveris Salep . . . . .	»	50
		<hr/> 1000

CIGARETÆ ANTI-ASTHMATICÆ.

R. Foliorum sicc. Belladonnæ . . . . .	part.	60
— — Hyoscyami . . . . .	»	50
— — Stramonii . . . . .	»	50
Seminum Phellandrii . . . . .	»	10
Extracti Opii gummosi . . . . .	»	5
Aquæ Lauro-cerasi quantum satis.		

Folia a nervis mundata et semina contusa, per horas 12, cum aquæ Lauro-cerasi volumine circiter duplici, macera et ope preli exprime; solve extractum Opii, dein chartam bibulam colatura imbue ac probe sicca ut exinde conficiantur Cigaretæ.

CIGARETÆ BENZOÏCÆ.

R. Nitratis potassici . . . . .	part.	4
Aquæ . . . . .	»	16

In solutionem immergantur segmenta chartæ bibulæ albæ spissioris centimetr. 13 lata. Post imbibitionem extrahantur et siccentur; dein ingerantur in liquorem confectum cum

Tincturæ Benzoës . . . . .	part.	8
Acidi benzoïci officinalis . . . . .	»	1

Probe imbuta de novo siccentur et concisa in segmenta centimetr. 10 longa, pluries convolvantur ut fiant cigaretæ.

COLLODIUM CANTHARIDATUM.

R. Cantharidum pulveratarum . . . . .	part.	500
Ætheris sulphurici . . . . .	»	500
— acetici . . . . .	»	90

Methodo lixiviatoria exhauri et residuum ope preli exprime; tunc sume

Hujus soluti ætherici . . . . .	part.	100
Pyroxylis . . . . .	»	2

Pyroxylum solutum servetur vase probe clauso.

NOTA. Liquidum hoc, ope penicilli cuti applicatum, vesicationem producit.



DECOCTUM CORTICIS PERUVIANI FEBRIFUGUM.

R. Corticis Peruviani flavi pulverati gramm.	50
Acidi sulphurici diluti. . . . .	> 15
Aquæ. . . . .	> 750

Coque, in vase porcellaneo vel vitreo, ad colaturam gramm. 500; dein adde

Carbonatis sodæ crystallisati . . gramm.	4
Sacchari . . . . .	> 50

NOTA. Hoc decoctum sulphatis quininae vices sæpius implet.

DECOCTUM s. PTISANA FELTZ.

R. Sarsaparillæ . . . . . gramm.	63
Ichthyocollæ . . . . .	> 10
Sulphureti stibii pulverati et sac- culo linteo inclusi . . . . .	> 80
Aquæ quantum sufficit	

ut, post ebullitionem per horam, sit colatura litri.

DECOCTUM ZITTMANNI FORTIUS.

R. Radicis Sarsaparillæ concisæ. . . gramm.	575
Aquæ . . . . .	litr. 27

Digere per horas 24; tum, additis

Aluminis pulverati. . . . . gramm.	24
Sacchari . . . . .	> 24
Calomelanos . . . . .	> 16
Sulphureti hydrargyri rubri . . . . .	> 4

sacculo linteo inclusis, coque ad remanentiam litrorum novem, sub finem coctionis admiscendo

Foliorum Sennæ . . . . . gramm.	4
Radicis Liquiritiæ . . . . .	> 47
Seminum Anisi . . . . .	> 16
— Fœniculi. . . . .	> 16

Exprime, colaturaque a sedimento defusa sit litrorum sex.

DECOCTUM ZITTMANNI MITIUS.

R. Residuum decocti fortis,	
Radice Sarsaparillæ . . . . . gramm.	188

Immixta coque ex aquæ litris 27, ad remanentiam litrorum novem, sub finem coctionis addendo

Corticum Citri,	
Cinnamomi,	
Cardamomi minoris,	
Radice Liquiritiæ, singulorum gramm.	12

Exprime et colatura a sedimento defusa sit litrorum sex.

ELECTUARIUM ANTHELMINTICUM (Ph. BADENSIS).

R. Pulveris e radice Filicis maris. . . part.	7
— Seminum Cinæ. . . . . »	7
— Radicis Valerianæ . . . . . »	7
Sulphatis potassæ . . . . . »	7
Mellis despumati. . . . . »	72
	<hr/>
	100

ELECTUARIUM TRONCHIN.

*Marmelade de Tronchin.*

R. Mannæ in lacrymis . . . . . gramm.	290
Syrupi Violarum . . . . . »	290
Olei Amygdalarum dulcium . . . . . »	290
Extracti Cassiæ . . . . . »	80
Aquæ florum Aurantiorum. . . . . »	50
	<hr/>
	1000

ELIXIRIUM ACIDUM HALLERI.

R. Alcoholis 29°,  
Acidi sulphurici destillati, singulorum pondus æquale.

Servetur in lagena epistomio vitreo clausa.

NOTA. Ne confundatur cum aqua Rabelii s. Mixtura sulphurico-acida.

ELIXIRIUM SALUTIS (Ph. VAN MONS).

R. Cardamomi minoris . . . . . part.	2
Seminum Carvi . . . . . »	6
Foliorum Sennæ . . . . . »	48
Alcoholis 42° quantum sufficit	

ut, methodo Lixiviativa, obtineantur partes Elixirii 1000.

ELIXIRIUM STOUGHTON.

R. Absinthii . . . . . part.	24
Corticum Aurantiorum . . . . . »	24
Scordii . . . . . »	24
Gentianæ . . . . . »	24
Rhei . . . . . »	16
Cascarillæ . . . . . »	4
Aloës . . . . . »	4
Alcoholis 42° quantum sufficit	

ut, apparatu depulsorio, eliciantur Tincturæ partes 1000.



ESSENTIA PIPERIS CUBEBAE.

R. Extracti Cubebarum aetherei . . . part.	250
Alcoholis 29° . . . . .	750
	<hr/>
	1000

EXTRACTUM ELATERII.

*Elaterium.*

Succus e fructibus Elaterii Momordicæ contusis expressus per cribrum setaceum coletur et, in balneo maris, ad consistentiam pilularem evaporetur.

EXTRACTUM LACTUCARII.

R. Lactucarii quantum velis,	
Alcoholis 42° quantum necesse.	

Fiat lege artis extractum siccum.

FOTUS EMOLLIENS.

R. Specierum emollientium. . . . . part.	53
Aquæ quantum sufficit.	

Coque ut sit colatura partium 1000.

*Eodem modo parentur*

FOTUS Belladonnae, Hyoscyami, Solani nigri, et Stramonii.

INFUSUM SENNAE COMPOSITUM (Ph. LONDINENSIS).

R. Sennæ . . . . . part.	94
Zingiberis concisi. . . . .	8
Aquæ destillatæ . . . . .	4000

Macera in vase leviter clauso et serva.

LIMONADA AZOTICA s. NITRICA.

R. Acidi nitrici 56° . . . . . part.	2
Syrupi simplicis . . . . .	75
Aquæ . . . . .	925
	<hr/>
	1000

*Eodem modo cum acidis propriis parentur*

LIMONADE Citrica, Muriatica, Sulphurica, et Tartarica.

LIMONADA CITRATIS MAGNESIÆ.

R. Acidi citrici . . . . . part.	66
Aquæ . . . . .	742
Magnesiæ albæ . . . . .	52
Syrupi simplicis . . . . .	150
Alcholeti Citri. . . . .	40
	<hr/>
	1000

In solutione citrica solve magnesiã, dein adde syrupum et alcholetum.

LIMONADA CITRATIS MAGNESIÆ AERATA.

R. Acidi citrici crystallisati . . . . .	part.	70
Carbonatis magnesiæ . . . . .	>	50
Aquæ . . . . .	>	755

Solutionem frigide paratam in lagenam excipe, dein adde

Syrupi simplicis . . . . .	part.	150
Alcoholi Citri . . . . .	>	40
Bi-carbonatis sodæ . . . . .	>	5
		<hr/>
		4000

Lagenam statim ac fortiter claude,

LINIMENTUM GINGIVALE ROBORANS.

R. Catechu . . . . .	part.	5
Kino . . . . .	>	5
Spiritus Cochleariæ . . . . .	>	40

Digestis et solutis adde

Mellis rosati . . . . .	>	50
		<hr/>
		100

LINIMENTUM HYDRO-SULPHURATUM (JADELOT).

R. Olei Papaveris albi . . . . .	part.	658
Saponis albi pulverati . . . . .	>	280
Sulphureti potassii pulverati . . . . .	>	60
Olei volatilii Thymi . . . . .	>	2
		<hr/>
		4000

LIQUOR ARSENIATIS SODÆ (PEARSON).

*Arsenias sodicus aqua solutus.*

R. Arseniatis sodæ crystallisati . . . . .	centigr.	5
Aquæ destillatæ . . . . .	gramm.	50

LIQUOR CARBONATIS AMMONICI.

*Carbonas ammonicus solutus. Spiritus salis ammoniaci aquosus.*

R. Carbonatis ammoniæ . . . . .	part.	20
Aquæ destillatæ . . . . .	>	80
		<hr/>
		400

Solve et filtratum serva in vase arcte clauso.

Sit limpidus, coloris expers, plane volatilii, pond. spec. 1,07.



LIQUOR BI-CHLORURETI HYDRARGYRI (VAN SWIETEN).

*Liquor sublimati corrosivi.*

R. Hydrargyri sublimati corrosivi . . . part.	1
Alcoholis 28° . . . . . »	400
Aquæ destillatæ . . . . . »	899
	<hr/>
	1000

Paretur ex tempore.

LIQUOR NERVINUS (PH. HOLSATICA).

*Mixtura camphorata aetherea.*

R. Ætheris sulphurici alcoholici . . . . . part.	83
Camphoræ . . . . . »	43
	<hr/>
	100

In vase probe clauso serva.

LIQUOR NITRATIS HYDRARGYROSI.

*Liquor Bellosti.*

R. Nitratis hydrargyrosi pulverati . . . part.	40
Acidi nitrici 56° . . . . . »	2

Mixtis addantur terendo

Aquæ destillatæ . . . . . »	88
-----------------------------	----

Liquor in lagena clausa et a luce seclusa filtratus, super hydrargyro depurato caute servetur.

MIXTURA ADSTRINGENS ET ESCHARROTICA.

*Eau de Villate.*

R. Sulphatis cupri . . . . . part.	51
— zinci . . . . . »	51
Aceti . . . . . »	798
Solutis adde	
Sub-acetatis plumbi liquidi . . . . . »	400
	<hr/>
	1000

Detur turbida.

NOTA. Ad usum medicinæ veterinariæ.

MIXTURA CAMPHORÆ (PH. LONDINENSIS).

R. Camphoræ . . . . . part.	20
Alcoholis . . . . . »	3
Aquæ . . . . . »	973
	<hr/>
	1000

Camphoræ cum spiritu vini tritæ instilla aquam et per linteum cola.

MIXTURA CRETÆ (Ph. LONDINENSIS).

R. Cretæ præparatæ . . . . .	part.	24
Sacchari albi . . . . .	»	48
Gummi arabici . . . . .	»	24
Aquæ . . . . .	»	48
Aquæ Cinnamomi . . . . .	»	886
		<hr/>
		1000

OLEUM ANTHELMINTICUM CHABERT.

R. Olei animalis ætherei . . . . .	part.	20
— Terebinthinæ . . . . .	»	80
		<hr/>
		100

PASTA s. CAUSTICUM CANQUOIN.

N 1. R. Chlorureti zinci . . . . .	part.	1
Farinæ tritici . . . . .	»	2

Nº 2. R. Chlorureti zinci . . . . .	»	4
Farinæ tritici . . . . .	»	5

Nº 3. R. Chlorureti zinci . . . . .	»	4
Farinæ tritici . . . . .	»	4

Nº 4. R. Chlorureti zinci . . . . .	»	4
Farinæ tritici . . . . .	»	5

Fiat cum aquæ sufficienti quantitate Pasta in lacinias dividenda. Paretur ex tempore.

PASTA DEPILATORIA.

R. Sulphureti arsenici flavi . . . . .	part.	57
Calcis pulveratæ . . . . .	»	395
Amyli . . . . .	»	570
		<hr/>
		1000

Caute servetur in lagena vitrea clausa.

PASTA PECTORALIS BALSAMICA (REGNAULD).

R. Florum pectoralium . . . . .	part.	66
Gummi arabici . . . . .	»	403
Tincturæ balsami Tolutani . . . . .	»	5
Sacchari . . . . .	»	529
Aquæ quantum sufficit.		

Fiat Pasta cum infuso florum pectoralium.



PASTA PHOSPHORATA.

R. Phosphori . . . . .	part.	4
Farinæ tritici . . . . .	»	20
Aquæ bullientis . . . . .	»	20

Phosphorum aquæ fervidæ immisum in mortario porcellaneo tere cum farina per vices addita, et indesinenter agita donec refrixerit.

*Nota. Hæc pasta ad animalia nociva necanda inservit.*

PILULÆ ALOETICÆ CAMBOGIATÆ.

*Pilulæ Anderson. Pilules écossaises.*

R. Aloës . . . . .	part.	428
Gummi guttæ . . . . .	»	428
Olei volatilis Anisi . . . . .	»	72
Mellis . . . . .	»	72
		<hr/>
		1000

Fiat massa et formentur ex tempore pilulæ centigr. 20.

PILULÆ ALTERANTES PLUMMERI.

R. Mercurii dulcis,	
Sulphuris aurati antimonii,	
Extracti Fumarie, singulorum partes æquales.	

Trituratione probe commixta reducantur cum syrups simplicis quantitate sufficienti in massam, e qua formentur pilulæ centigr. 15.

PILULÆ ASIATICÆ.

R. Acidi arseniosi porphyrisati . . . . .	centigr.	5
Piperis nigri pulverati . . . . .	»	60
Gummi arabici pulverati . . . . .	»	10
Aquæ quantum sufficit.		

Pulveres diu tere in mortario ferreo; tum cum aqua fiat massa homogenea in pilulas duodecim dividenda. Quæque pilula milligr. 4 arsenici continet.

PILULÆ FERRI CUM MYRRHIA (PH. LONDINENSIS).

R. Myrrhæ contusæ . . . . .	part.	2
Carbonatis sodæ crystallisati . . . . .	»	4
Sulphatis ferrosi crystallisati . . . . .	»	4
Sacchari facis . . . . .	»	4

Tere Myrrham cum carbonate sodæ; adjecto sulphate ferri, iterum tere; dein omnia, in vase prius calefacto, simul contunde, donec in massam homogeneam redigantur.

PILULÆ FERRUGINOSÆ BLAUD.

R. Sulphatis ferrosi crystallisati . . . gramm.	46
Carbonatis potassæ . . . . . »	46
Gummi tragacanthæ pulverati . . . »	2

Salibus assidua trituratione liquefactis adde gummi, et massam in pilulas 96 divide.

PILULÆ FOETIDÆ.

R. Galbani . . . . . part.	25
Acidi succinici medicinalis . . . . . »	6
Castorei canadensis . . . . . »	6
Asæ foetidæ . . . . . »	50
Mellis et alcoholis . . . . . »	45

100

Fiat secundum artem massa pilularis.

PILULÆ HYDRARGYROSE (CODEX GALLICUS).

*Pilulæ mercuriales Bellosti.*

R. Hydrargyri . . . . . part.	24
Pulveris Aloës . . . . . »	24
— Rhei . . . . . »	12
— Scammonci . . . . . »	8
— Piperis nigri . . . . . »	4

Mellis quantum sufficit.

Tere hydrargyrum cum melle donec globuli metallici visum effugiant; dein pulveres adde ut fiat massa, in pilulas centigr. 20 ex tempore dividenda.

PILULÆ HYDRARGYROSE PLENK.

*Pilulæ mercuriales gummosæ.*

R. Hydrargyri . . . . . part.	10
Gummi arabici . . . . . »	40
Mellis . . . . . »	40
Pulveris radici Altheæ . . . . . »	20
— Amyli . . . . . »	20

100

Fiant cum massa pilulæ centigr. 15.

PILULÆ MEGLIN.

R. Extracti Valerianæ,	
— Hyoscyami,	
Oxydi zinci, singulorum partes æquales.	

Fiant pilulæ centigr. 15.



PILULÆ MORISSON.

R. Aloës . . . . .	gram.	4
Resinæ Jalappæ . . . . .	»	4
Extracti Colocynthis alcoholici . . . . .	»	4
Gummi guttæ . . . . .	»	4
Rhei . . . . .	»	2
Myrrhæ . . . . .	»	2

Fiant pilulæ 50.

PILULÆ PURGANTES.

*Loco pilularum Franck.*

R. Aloës . . . . .	part.	2
Rhei . . . . .	»	1

Syrupi Absinthii quantum necesse.

Fiant pilulæ ponderis centigr. 40, foliis argenteis obducendæ.

PILULÆ SAPONACEÆ HAENII (PH. GANDAVENSIS).

R. Gummi ammoniaci . . . . .	part.	4
Acetatis potassæ . . . . .	»	1
Massæ pilularum Rufi . . . . .	»	4
Saponis . . . . .	»	2

Syrupi simplicis quantum sufficit.

Fiant e massa pilulæ ponderis centigr. 25. Dentur in lagena.

POTIO COPAÏVÆ SPIRITUOSA.

*Mixtura s. Potio Chopart.*

R. Balsami Copaivæ . . . . .	gramm.	57
Alcoholis 25° . . . . .	»	57
Syrupi Capillorum Veneris . . . . .	»	57
Aquæ Menthæ piperitæ . . . . .	»	57
— florum Aurantiorum . . . . .	»	15
Ætheris nitrici alcoholici . . . . .	»	7
		<hr/>
		250

POTIO EFFERVESCENS.

*Potio anti-emetica Riverii.*

R. Syrupi Limonum . . . . .	gramm.	52
Succi Citri . . . . .	»	46
Aquæ . . . . .	»	96
Bi-carbonatis potassæ . . . . .	»	2
		<hr/>
		146

Misce in phiala probe et illico obturanda. Paretur ex tempore.

POTIO AMMONIACALIS.

R. Aquæ . . . . .	litr.	4
Ammoniae liquidæ . . . . .	gramm.	15

NOTA. Ad usum medicinæ veterinariæ.

POTIO PURGANS ANGLORUM.

*Potio nigra. Black draught.*

R. Foliorum Sennæ . . . . .	gramm.	15
Mannæ . . . . .	»	24
Aquæ . . . . .	»	125
Fiat lege artis infusum; colaturæ adde		
Sulphatis magnesiæ . . . . .	»	24
Aquæ Cinnamomi . . . . .	»	15
Tincturæ e Senna compositæ . . . . .	»	8

PULVERES FERRUGINOSI MENZER.

R. Proto-sulphatis ferri . . . . .	gramm.	2
Sacchari . . . . .	»	6
Divide in pulveres 12. Dentur signati N° 1.		
R. Bi-carbonatis sodæ . . . . .	»	2
Sacchari . . . . .	»	6

Divide in pulveres 12. Dentur signati N° 2.

Pulveres N° 1 et N° 2 seorsim solvantur ac sub potum probe misceantur solutiones.

PULVIS ANTIMONII COMPOSITUS.

*Pulvis antimonialis James.*

R. Sulphureti antimonii . . . . .	part.	4
Cornu Cervini rasi . . . . .	»	2

Mixta in crucibulo igne candente diligenter move donec vapor nullus ascendat. Post refrigerium, massam residuam tritam in crucibulum hassiacum immitte ut, igne sensim aucto, candeat per horas duas. In pulvere tenuissimo servetur.

PULVIS AROMATICUS.

R. Pulveris radices Zingiberis,	
— Corticis Cinnamomi,	
— Seminum Cardamomi, singulorum partes æquales.	

PULVIS ARSENICALIS ROUSSELOT.

R. Cinnabaris . . . . .	part.	47
Sanguinis draconis . . . . .	»	47
Acidi arseniosi . . . . .	»	6
		100



PULVIS BECHICUS (LEBAS).

R. Pulveris Radicis Liquiritiæ . . . . .	part.	40
— — Althææ . . . . .	»	40
— — Iridis florentinæ . . . . .	»	5
Sulphuris sublimati . . . . .	»	15
		<hr/>
		100

NOTA. Ad usum medicinæ veterinariæ.

PULVIS CACAO COMPOSITUS.

*Racahout.*

R. Cacao torrefacti . . . . .	part.	64
Farinæ Oryzæ . . . . .	»	186
Fæculæ Solani tuberosi . . . . .	»	186
Sacchari . . . . .	»	560
Vanillæ . . . . .	»	4
		<hr/>
		1000

PULVIS HEMOSTATICUS.

Pulveris Colophonii . . . . .	part.	600
— gummi Tragacanthæ . . . . .	»	400
— Argillæ albæ . . . . .	»	500
		<hr/>
		1000

PULVIS HIPPIATRICUS.

*Pulvis cordialis.*

R. Sulphureti antimonii . . . . .	part.	68
Florum sulphuris . . . . .	»	104
Pulveris Liquiritiæ . . . . .	»	104
— Anisi . . . . .	»	104
— Cumini . . . . .	»	208
— baccarum Lauri . . . . .	»	208
— Fæni græci . . . . .	»	204
		<hr/>
		1000

NOTA. Ad usum medicinæ veterinariæ.

PULVIS MAGNESIÆ CUM RHEO.

*Pulvis infantum.*

R. Carbonatis magnesiæ . . . . .	part.	570
Eleosacchari Fœniculi . . . . .	»	288
Rhei pulverati . . . . .	»	142
		<hr/>
		1000

PULVIS PLUMMERI.

R. Calomelanos,  
Sulphuris aurati antimonii, singulorum partes æquales.

Terendo probe misceantur. Paretur ex tempore.

PULVIS PURGANS ROGÉ.

R. Magnesiæ ustæ . . . . . gramm. 8  
Carbonatis magnesiæ . . . . . » 4  
Acidi citrici pulverati . . . . . » 26  
Sacchari . . . . . » 50  
Olei volatilii Citri . . . . . gutt. 5  
Miscæ. Solve ex tempore in aquæ gramm. 800 ut fiat potio.

SAPO ANTIMONIALIS.

*Sapo stibiatus.*

R. Sulphuris aurati antimonii . . . . . part. 1  
Potassæ causticæ solutæ quantum sufficit  
ut digerendo solvatur sulphuretum antimonii. Solutioni cum aquæ destillatæ  
duplo dilutæ et filtratæ addantur  
Saponis albi pulverati . . . . . part. 6  
tum liquor ad consistentiam pilularum leni calore evaporetur. Servetur in  
vitro clauso.

SAPO TEREBINTHINATUS.

*Balsamum vitæ externum. Sapo Starkey.*

R. Saponis albi pulverati,  
Olei Terebinthinæ, singulorum . . . . . part. 6  
Carbonatis potassæ depurati . . . . . » 4  
